47233

MIEJSKA BIBLIOTEKA PUBLICZNA
W
ELBLĄGU

Casparis Schut-
zij Isleuienſis
Bucolica.

Zb. Sp.
MIEJSKA BIBLIOTEKA PUBLICZNA W ELBLĄGU
RS 192
416
47233
~~2353~~
~~28~~

Christus Infans.
Ecloga prima.

Tityrus et Daphnis.

Si puer Isaides, pa~~triis~~trios cum paſceret ~~[illegible]~~ agros,
Syluestrem gracili meditatus arundine muſam,
Meſsiam cecinit longo poſt tempore natum,
Quis pudor eſt cunis tenues adhibere camœnas
Christe tuis? nec te quondam rudentis aſelli,
Nec torui puduit bovis ad cunabula ſtantis.

Credibile est Musas natalis tempore magne
Te lustrasse choro, et viridas inflasse cicutas,
Caelestes Musas, non quas in vallibus atris
Viderat Ascraeus falsa inter somnia pastor.
TIT: Daphni ad nocturnos quoniam consedimus ignes,
Et nondum subijt croceis Aurora capillis,
Fare precor spectata tibi cunabula nuper
Nascentis pueri, quem flammea turba per auras
Magnanimi coluere satum de stirpe Tonantis:
Innuba quem tauris inter praesepia Mater
Appositum gracili peperit subnixa bicorni.
Incipe servato morientem frondibus ignem.
DA: Dive puer, ~~sancti~~ primi quem ~~non nouere~~ speravere parentes,
Sis bonus o felixque tuis, tibi fistula cannis
Jungitur, et placido gratantur murmure carmine sylvae:
Suavibus alma tibi certatim turba camaenis
Aetherias resonat nubes. Quae causa coegit
Sideribus roseis, stellantique arce relictis
Stramineas habitare casas? gestare caducam
Sordibus humanis infectam et labe figuram?

Et seu primo genitum videre nepotes,

Zb. Sp.
MIEJSKA W ELBLĄGU BIBLIOTEKA PUBLICZNA
47233

Solus amor nostri, ⁊ nostri te cura coegit
Sidereas arces, propriumque relinquere cælum.
Et cui conuexo uix pondere sufficit orbis,
Sufficit intactæ nascenti Virginis aluus.
Nec te, seruiti cupias licet ore uideri,
Dissimulare potes, uidi, uidi ipse flagrantes
Humanis oculos maiores, aspera circum
Lucebant auro præsepia, tunc ego pronus,
Ut uidi, cecidi, tacitus tremor iuit in ossa:
Accessi, supplexque manus, supplexque tetendi
Ora tuis pedibus, tum mollia strata paraui,
Agrestemque thorum, ⁊ uili de cespite lectum.
Ecce autem aligeri iuuenes, plaudente caterua,
Pars ducunt choreas, pars intra tecta calenti
Findunt ligna foco, rapidis aut arida flammis
Nutrimenta ferunt, calfactaque lintea matri
Apportant, cunasque mouent, cantuque soporem
Illectant puero, positus qui lintre cauato
Hic inter pecudes recubat, quum lacteus humor

Victus alit modicus, dum magnum sustinet orbem.

Dum puer nra corda subi, tibi pectore lectum
Sternemus, aut passis requiesces mollius ulnis,
Ne tuus e memori labatur pectore uultus.
Te puer illa sequens, prior ⁊ mirabitur ætas,
Digne tuo partu, diuina digne parente,
Ne uitio generis, nec tactu nate uirili,
Sed quæ cœlesti radiat de pectore Flamma.
Felix et genitrix, felix et alumnus Joseph,
Vos quoque felices panni, qui membra cubantis
Contegitis pueri, fœnumque ⁊ nobile stratum.

Isaidas intra ueteris mapalia ruris
Ah quoties in mæsta trahens suspiria syluas,
Promissam ingenti sobolem expectabat amore,
+ Illam, quæ uentura suis fuit ossibus olim,
Si tuus hic coram genitor te parue uideret,
Infandum quæ uota daret, quos pectoris æstus,
Qualiter aurato resonaret carmina plectro,
Omnis ut insolitos mundus cognosceret ortus.

+ Illam, illam, quæ oriunda suis

Interea hæc fragili tibi nos incondita iunco
Perstrepimus, calamo intenti, vix vnus & alter,
Quos rigida glacie concretos & niue cana
Haud arcet solito nox vnquam hyberna labori.
TIT: Nos etiam grata puerum tibi laude vicissim
Dicamus, festumque diem tollamus ad astra
Carmine, quod sacro quondam nos Pollio versu
Edocuit, iussitque virentes discere lauros.
Ultima fatidici complentur carmina Vatis,
Qui pecudes & rura canens testudine filum
Personat aurata, Bethlæ conuallibus imis.
Magnus ab integro seclorum nascitur ordo,
Et noua progenies cælo demittitur alto.
Tu modo, pastores miseros, ut secula rursum
Aurea felici succedant auspice terris,
Almus pater stabili qui terra sidere voluis,
Atque puer sceleris quondam contagia nostri
Morte tua, & mundi damnosa piacula soluens,
Respice iam rebus dubijs: tibi regna parantur,
Inter & ipse chorum cæli, inter & agmina læta

Aurans incedes, mediusque uideberis illic,
Iustitiæque nouum patrijs uirtutibus orbem.
Æthereus circum tua grex cunabula flores,
Liliaque, fragilesque rosas, mollemque hyacinthum,
Munera telluris spargunt, lethale uenenum
Occidit, et serpens nostri mala caussa laboris,
Et dolus, et primi fatum insuperabile pacti.
At simul æterni cum iussa facessere patris
Incipies, ibunt nostræ incrementa salutis,
Lætaque saluatum Virgo descendet in orbem,
Et quamuis superat uitij malesuada libido,
Quamuis Mars ualidas bello concusserit Vrbes,
Atque aliquis late turbatum classibus æquor
Verberet, aut lembus merces mutauerit Indis,
Omne tamen tibi ius hominum uitæque necisque
Tunc metuant, tunc incipies in uota uocari.
Hinc ubi iam cælum tibi fas ⁊ tangere sceptra,
// Nec Thetis auertat spirantibus æquora uentis,
Nec miseri pecudes grauidas sub sidere Cancri

// Austricijsque nouum proprijs disponere mundum,
~~regnum~~,

9

Paſtores ducent, moriantur aëre ſicco,
Frigoraque immuniti, nihil hic niſi gaudia reſtant,
Nullaque mortales ſcelerum veſtigia norint.
Talia ſecla tuis natalibus ordine fati
Ibunt, ⁊ tali tua regna ferentur honore.
Aggredere almus puer laudes, quas tempore longo
Accipies, ~~non pauca~~ æterna tuis ſtant ſecula ſceptris.
Chara Dei ſoboles, magnique parentis imago,
Aſpice ſtelligerum ſublimi vertice Olympum
Ut tibi ſe pandat, ſubiectum deſpice mundum,
Nubesque, vaſtumque poli, ventoſque frementes,
Aſpice, concipiunt vix omni gaudia ſenſu.
O utinam tantum ~~[illegible]~~ ſuperat puer optime vitæ,
Ut mihi ſit licitum tua fortia dicere facta,
Non res Romanus audebam cedert carmis.
Macte tua virtute puer, iam audire vocantes
Incipe, ⁊ æthereum ſupra conſiſtere cælum.

Jonathas.

Ecloga secunda.

Formosum Isaides Jonatham formosior ipse
Ardebat, nec cum puer aspernatus amantem,
Ingratus si non pater, et si tuta tulisset
Isaiden fortuna, opibus patriaque carentem.
Ergo amans animi patulae sub tegmine cedri
Hirsutas inter vepres, arbustaque campi
Lugebat, questusque sonos iactabat inanes.
Crudelis Jonatha, quo me iuvat usque teneri?
Tam meos etiam causando ducere amores?
Blanditias quamvis toties et amabile verbum
Dixisses? iam triste sonant convallibus undae,
Ipsi iam montes mecum didicere querelas.

At tu, dum teneris etiamnum stirpibus ulmos
Amplexas releuant uites, finguntque putando
Agricolæ, patrias modularis carmen ad auras.
Nec tamen inuideo, sed tu securus amorum
Forsitan immitem reuocas ad iurgia Saulum.
Ah uereor teneras ne lædat uulnere malas,
Neue malis insanus contortam dirigat hastam.
Me quoque Syluestri componere carmina plectro,
Et rabidum cythara memini sopire furorem,
(Horresco referens) uix me, nec tale timentem,
Elapsum foribus Musæ eripuere furenti,
Dum sedet, ac dextra cornum perlibrat ab aure.
Despectus tibi sum Jonatha, quod pauper et exul,
Quodque aliena meæ rodunt uirgulta capellæ.
O formose puer fortunæ fidere noli,
Forsan ego patrios conuerso tempore fines,
Post aliquot mea regna uidens lætabor aristas,
Impius Isaiden prohibere a dulcibus agris
Cissides potuit. Quin me diadamate insper

Longæuus sacra [illegible] in æde Sacerdos
Præcinxit, liquidaque caput mihi pallade lauit
Ignaro, ⁊ vixdum redeunti e rure paterno,
Jn manibus baculum, ⁊ susceptum nixibus hædum
Portabam gaudens, nostri me nunc quoq regem
Dicunt pastores, sed non mihi regia tanti est.
Quid, quod mille pater Libani sub montibus agnas
Pascit? quod totidem tondent dumeta iuuenci?
Canto, quæ solitus, cum pascua quæreret exul
× Junior adhuc Tharidas, in Niliacis uepratis.
Nunc canam surdis, pecudes mirantur, ⁊ agni
Ad numerum saliunt, intellexisse putares:
Siue meum Jonathan memorem, seu qualiter actum
Jmmanis Golias lapidem sub fronte recepit.
Nunc me despicias, Mÿcale tua nampe ferebat
Haud adeo informem, ⁊ magnum fingebat amorem,
Et dabat amplexus, at non ego credulus illi.
Huc ades ô dilecte puer, tibi lilia Nÿmphæ
Purpureasq legunt violas, hic candida Phyllis

Serta facit, salices stringit formosus Amyntas.
Tu comes alter eris, in syluas ibimus una,
Retia tendemus pariter, pariterque sequemur
Setigeros apros, atrocemue unguibus Vrsum,
Nec capreæ saxis tuto condantur in altis.
Est mihi Sidonijs incinctus cornibus arcus,
Laucothös dederat patri, dederatque pharetram
Mille grauem telis, timidas quo sæpe ingessis
Montibus excussit damas, et celsa per antra
Deiecit spolium saxis, neque fortior ullus
Ecalari neruo penetrabile mittere telum.
Sæpius ipse mihi frustra blanditus Jolas,
Si quo forte modo ferrat memorabile donum.
Est etiam imparibus septem mihi fistula cannis
Quam didici primum teneris inflare labellis,
Si te forte iuuat syluestrem audire camœnam.
Sunt et præterea quæ dicere munera possem,
Necdum alijs spectanda dedi, tibi condita seruo.
At si me fugitas Jonatha, si munera spernis

Si tibi felices Syluæ, & nemora auia ſordent,
Nec mihi ſunt Muſæ faciles, nec tibia cordi,
Nec tamen in uiridi deſcribere carmen hibiſco,
Et pecus odiſſem, ſequerer fugientis amorem,
Fiſtula nec cannis mihi ſit, nec cornibus arcus.
Ut thymus Hyblæis apibus, citÿſusq; capellis,
Ut capris uirgulta, liquor de rore cicadis:
Sic mihi ſola meus Jonathas, mea tota uoluptas.
Sed quid ego hæc fruſtrà narro faſtidia ſyluis?
Interea pecudes ſitiunt, hædumque gemellum
Ubera non ſequitur ducentem lactans humor.

Istula.

Ecloga tertia.

Sic, ubi purpureos reserabat Lucifer ortus,
Cæruleam ad ripam viridi projectus in umbra,
Istula bucolico ludebat carmina versu:
|| Illum etiam Fauni ⁊ Satyri stupuere canentem,
Pan ea miratus patulas incidit in alnos.
Namq canens teneri primordia maxima mundi,
Tollebat veterum multo paradyson honore,
Quique hortum latis medijs interluit Indis
Euphraten, volucresq volantes flumina propter.
Tum viridi primum circumdat fronde parentem
Et nova iactato pulsarat ut arva ligone,
Exegeratq alta victum tellure repostum:
At Coniux habili deducens pollice fila

|| Istula Sarmaticis bifidus regnator in Indis,

Servaratque domum et casti connubia lecti,
Instrueratque piam patri solatia prolem.
Subiicit aethereis pereuntem fluctibus orbem,
Infandas scelerum poenas, tutumque ruinae
Surgentis terrae spectare cacumina Noam.
Continuo sese Phoebi surgentis ad ortum
Vertit, et excelsam ducit sub nubila turrim.
At pater omnipotens ventos fulmenque vocabat,
Et vastam trepido feriebat ab aere molem,
Signabatque alias alio discrimine linguas.
Protinus immani vinctum cavit Isacon ara
abstraxe colla
Ut iamiam rapto secuisset colla securi
Immitis pater, ast illum simul ignavus ales
# simul al-
tera
Nube cava eripuit, ~~[illegible]~~ # victima sacris
Supposita est, aries villis argenteus albis.
Mox parat egregio iuveni sponsalia sacra,
Ut Tharidae famulus iam declinantibus astris
Venerit ad fontem servus, cum virgo petenti
Pocula porrigeret manibus, patriumque canalis

Armento Tharidæ potandum duceret amnem.
Ipse autem digitis gemmas, ipse aurea dona,
Aureaque e terati suspensa monilia collo,
Ferre dedit domini monimẽtum & pignus amoris.
Filius huius erat, gemina qui coniuge fretus
Pascebat soceri depulsos matribus agnos.
Bis septem ille hyemes, bis septem sideris æstus
Servitio tulerat, quantos perpessus & imbres,
Sub dio recubans noctem, solesq; sub umbra.
At quoties errans per saxa, per avia lustra,
Sylvestri implevit Darlinia littora cantu,
Formosam resonare docens Labanitida sylvas.
Quid referam gemina numeratã ab origine prolem
Capta~~Lus~~tamq; viris fraternam ob somnia cædem?
Cum puer in campis errabat solus Ebræis,
Obvia si fratrum vestigia forte tulissent
Pascentum nitidos herboso flumine tauros.
At illi indigna sceleris mercede redemptum

Servitio dederunt regni trans oſtia Nili:
Ut vanis celarant, veſtam miſere parenti
Sanguineis tinctam maculis hircique cruore,
f minor natu Ecquod tales f ~~Fro~~ valamen ~~[illegible]~~ haberet?
Dira ſenem iam tum animo præſagia terrent,
Et puerum nollet iſſe in deſerta, ſine Mo
Cuſtode, occurrant Urſi, impavidiq Leones.
f atro Ut vero veſtam, veſtam, [illegible] ſanguine tinctam
Vidit, et exuvias nati cognovit inanes,
Tum vero luctum ingeminat, tum pulvere fœdam
Canitiem involvit, mortemq miſerrimus optat.
Addit Erythræi ducentem examina Moſen
Per vada ſalſa maris: Sed enim poſt talia facta
Neptunus genitor quanquam indignatus inultum
Æquoreas calcare vias, loca pervia nautis,
Et nullis ratibus ſicco pede currere pontum,
Talia molitum, nec dijs, nec viribus æquis,
Ah miſerum Regem ſpumantibus obruit undis.

Apparent alij nautæ in gurgite vasto,
Armaque, cristatæque iubæ, radijque rotarum.
Tum canit Isaidem, ut clam temerata secutus
Fœdera Bersabeæ fuerit vetitosque hymenæos,
Infelix vates, crudeliter ille maritum
Sustulit incautum infando deceptus amore.
O fortunatum, si non e culmine tecti
Vidisset teneram vicino in fonte lauantem.
Ecce autem Elias rapidis petit aëra bigis,
Et procul ardenti signat vestigia sulco:
At comes ætherias dextram tendebat in auras,
Atque equitem Isacidem frustra, frustraque vocabat
Aurigam, tum saxa cavis convallibus implet
Inscius, Elian, Elian, omnis sonarat
Et nemus, Elian Jordani rauca fluenta.
Addit et errantem propter sua flumina Daphnin,
Insolitumque sacro modulantem gutture carmen

MIEJSKA W ELBLĄGU BIBLIOTEKA PUBLICZNA

Vt chorus ignaræ circum concurrere turbæ
Inciperat, laurique ⁊ coniferæ cypariſſi:
Atque ſenex vitæ concludens fata ſupremæ
Donavit Lycidæ calamos, artemque canendi,
Dixerit et, noſtri tamen hæc monimenta manebunt:
Nempe Iſtuleos carmen deſcripſerit agros,
Vtilis & ruri ⁊ pecori, dum vita manebat.
6. Sic canit, # ingeminant ſylvæ, # ⁊ cana littora plaudunt.

a Iſtula Sarmaticis bifidus regnator
in undis

Amyntas

Ecloga quarta

Daphnis et Amyntas.

Daphnidis et docti musam dicemus Amyntæ,
Alternis illi calamis contendere sueti
Flumineas propter ripas, sua carmina Phœbo
Sacrabant, ambo iuvenes, sylvestribus ambo
Versibus insignes, hic spreto coniugis usu
Expertam thalami vitam probat, ille iugalem.
Dij mihi sylvestres, ⁊ magni musa Maronis
Ferte pedem, qua mollis agit se in gramine rivus,
Et placido somnum suadet crepitante lapillo,
Daphnidis ⁊ docti musam dicemus Amyntæ.

DA: O mihi quis placido dabit ocia ducere ruri,
Vt neque fallaces suaderent praua puella,
Nec mali sollicitis traherat res anxia curis,
Aut domus, aut multo veniens cum pignore coniux.
AM: At mihi sperato faueat Deus æquus amori
Et quæ nunc tacitis urit me Nympha medullis
Connubio iungat stabili, mihi proxima coniux
Hæreat, & matri dulces circum ubera nati.
DA: Ocia noster amor nactus obnoxia musis,
Qualia prima viris Saturno rege fuerunt,
Cum soli in campis nullo sub iure manerant,
Quærere sylua domos, victum Dodona iubebat.
AM: Ocia noster amor primi iucunda parentis,
Solibus æstiuis quoties errabat in umbra,
Cum thalami socia, & natos ad ocia vocabat,
Erudiens teneram nubes & sidera prolem.
DA: Tum ignota viris Venus & malesuada libido,
Nullaq; fæmineis fumabant oppida tædis,

Ignotas illi uenatum ſcandere ſyluas,
Nec meminiſſe domum ſeræ decedere nocti.
AM: Sic hoies et ſic hom numeroſa propago
Succreſcit, mundumque Deus et inania gaudet
Arua compleri, Deus hæc, Deus, aſpice Daphni,
Fœdera ſacratis d primum ſanciuit in hortis.
DA: Ne mihi ne quiſquam temere perſuadeat auctor
Fœmineo molles animos ſubmittere amori:
Illæ blandiloqua promittunt omnia lingua,
Interea miſeros ſpes paſcit inanis amantes.
AM: Felix qui parilis deuinctus amore puellæ
Contulit ad patrios connubia caſta penates,
Cui ſua fœmineas ~~G~~Galathæa exculta per artes
Ad mandata uenit, dictumque faceſſere gaudet.
DA: Fœmina paſtorum curis ſine more fatigat,
Et multum inſurgit ſumptu, ſemperq; recentes
Accumulat cauſas odij, ſatis hoc quoq; damnioſi,
Natorum ſi quem numeroſa moleſtia ~~tu~~ vexat.

AM: Fæmina caſta ſui decus ⁊ tutela mariti eſt
Ipſa uiro requies, magni pars ipſa laboris,
Cui colus aſſiduè uictum, cui lana miniſtrat,
Communesq ſtudet genitori educere natos.
DA: Per ſaltus amor eſt iuueni, per deuia ferri,
Et ſyluas colere, ⁊ meditari retia ceruis,
Aut Dryadum luſtrare choros, ⁊ gaudia ruris,
Atque olim inſomnem ludo producere noctem.
AM: Sunt et coniugibus ſua gaudia, ſunt ſua lecto,
Et domus eſt eadem, et ſociati pignus amoris,
Vtilis ars terram uerſandi, ⁊ culta ſerendi,
Et mulgere pecus facile eſt, et texere qualos.
DA: Qualis in aprico Laurus uenerabilis aruo
Explicat in frondem caput, ⁊ ſublime coronat,
Ac merito ſyluas inter ſpectatur honore:
Talis ⁊ in uiridi caſtus decor ille iuuenta.

AM: Qualis pampinea vitis ſe fulcit in ulmo,
Et ſocias recipit vires, Bacchumque refundit,
Communes tolerans imbres & frigora cæli:
Taliter in thalamum veniunt cum coniuge coniux.

Sic illi alternis cantantes verſibus ambo
Diſparibus ſtudijs ſeſe per rura ferebant,
Dignus uterque ſuis calamis, & utrique coronam
Huic Hyale texit coniux, illi innuba Phyllis.

5

Nicetus.

Ecloga quinta.

Forte ſub arborea conſedit Titÿrus umbra,
Qua placidus molles interſecat Albis arenas,
Et volucrum cantus labentibus incitat undis.
Hic ubi Niceti fatum miſerabile capti
Audijt, ⁊ caſum nequicquam inſontis amici
Ingemuit, quam, diva tuos Philomela ſequentem
Mane novo cantus, ſub iniquo crimine Flaccus
Prodidit inſidijs, immanibus efferus armis,
Taliter indignas orditur voce querelas:
Plangite Salanæ, mea gaudia, plangite Muſæ,
Nicetus doctos inter celeberrimus unus
Paſtores quos Sala colit, quam dulce canentem

Indigenæ ſtupuere Deæ, Faunique bicornes,
Ah nimium infelix, non hunc euadere morſus
O dolor Illyricos? virusq e dente receptum
Anguis Dalmatici? dum quæ perceperat ante
Saltibus Albinis Philomelæ carmina dictat?
(Plangite Salanæ, mea gaudia, plangite Muſæ,
En decus hoc uestrum, & quæ nunc ſolatia reſtant?
Heu miseræ pecudes, en aſpice, ut omnia mœrent,
Vicatimque gemunt, non tauri paſcua tangunt,
Flumina non ſitiunt, etiam ſua rura magiſtrum,
Ipſa Pales etiam deſiderat, ipſe Lyæus.
(Plangite Satanæ, mea gaudia, plangite Muſæ.
(Peſtis ab Illyricis huc uſque educta cauernis
(Paſtores arcete malum præſepibus altis)
Satanos deuaſtat agros, age proſpice tauris
Tityre, & infecto de flumine rejice capellas.
Infelix o ſemper oues pecus, ille beatos
Dum colit, & fraudi ne ſint ſibi capta veretur,

Segregat ipse agnos caulis: sic lacte capellæ
Frustrantur, pullosque gemunt armenta magistros.
Plangite Salanæ mea gaudia plangite Musæ.
Quid facient fures, faciat cum talia Flaccus
Afflictæ pecudi? sacra quam doctus avena
Ad liquidum pastu Nicetus compulit amnem,
Et cum vidisset, quo diceret ore, dolebat,
Et si non laribus pepulisset mortuus esset.
Non tu pastorum viridi certamen in umbra
Audisti, calamos struxisti primus ineptos,
In triviis tantum miserum disperdere carmen,
Dilacerare bonos solitus, linguaque silenti
Fingere tot fraudes, quibus inter ovilia cantus
Insidias tendis pecori, pecorisque magistris.
Qui Staphylum non odit, amat tua dogmata Flacce.
Perfidus ille magis, tu Flacce vel improbus estis?
Improbus ille magis, magis at tu perfidus esto.
Plangite Salanæ mea gaudia plangite Musæ.
Nunc scio quid Flaccus cudat, non sanguine Flaccus

Editus humano, qui turpi semine natus,
Dalmaticisque iugis inuentum, assueta rapinis
Abiectum infami Tigris nutriuit in antro,
Imbibit unde suae nutricis pectora Flaccus.
Non illum mouit miserando foemina questu
Colla viri complexa sui, pulsataque more
Barbarico, et faciem crudelibus obruta pugnis:
Non qui, cum tacita exciperet sub nocte Menalca,
Clamabant pueri, quo te pater optime quo te
Abripiunt? tandemque manus captiuus inermes,
Quo trahitis miserum? quid fortis signa? quid istis
Impetimur telis? tanti haec Victoria constat?
Non illum casti mouit reuerentia Cygni,
Non qui sollicitos docuerunt ludere cannas.
Quid nisi Nicato Philomelae dirus amorem
Obijcit, et laudis virtutem in crimina vertit?
Candidus hic quamuis, et toti notus ouili,
Quamuis Illyrica Flaccus pice nigrior esset.
Plangite Salanae mea gaudia plangite Musae.
Ergo lupi comitantur oues, capreasque molossi,
Et thynni campos, capri freta longa pererrant,

Et placido pecori fera præbeat ubera Tigris,
Si qua bonis unquam manat concordia tecum.
Plangite Salanæ mea gaudia plangite Muſæ.
Flaccus Protheos vultus imitatur ⁊ artes,
Ambiguum fur an paſtor, qui rura venenis
Spargit, ⁊ auratam cælo deducere Phæbum
Aggreditur, ſuperisque recens intendere bellum,
Ille etiam proavos imus atavosque ſepulcris
Excitat, ⁊ verbis agitat mendacibus umbras.
Plangite Salanæ mea gaudia plangite Muſæ.
Eheu quàm ſterilis pingui grex paſcit in arvo,
Flaccus ⁊ has capras, atq; hos mihi faſcinat agnos.
Qui ſecundas agitis reſonantis ad Albidos undam
Paſtores, arcere malum florentibus agris
Diſcite, cantata ſegetes moriuntur in herba,
Perditur infauſta gracilis rubigine canna.
Plangite Salanæ mea gaudia plangite Muſæ.
Te carmen dicet tuum, te Muſa loquetur

Pastorum, qui Laucorsos celebratur ad annos,
Flaccum vel dæmon agitet malus: hæc tibi gratis
Edimus Albinus animo ô amice fideli
Insontis casum miserati, artesque nefandas.
Ite domum, Flacci subolet dolus, ite capellæ.

Damon.

Ecloga Sexta.

Menalcas. Corydon.

Damon.

Dic Corydon flaua cuias tibi fistula buxo?
CO: Donauit patri Stimichon, quia carmine nuper
Vicerat agrestes posita inter pignora cannas.
ME: Cantando ille unquam calamos uicisset agrestes
Conducta solitus uictum meruisse camæna?
Solus enim Stimichon, si nescis fistula Mopsi
Hæc fuit, hanc illi insidijs malus antè fefellit,
Pastore cum uisit, quem mox subduxerat hircum.
CO: Parce tamen uerbis conuicia, ni tibi Mopsus
Ipse illum nobis debere fatebitur hircum,
Nec pecori pastum, nec quod soluisset habebat.

ME: At quam uicino latitans sub uepre tulisti
Hunc quoq; (nec nescis) ubi perfide debuit Alcon?
Et tu sub stabulis furtiuo gramine alebas.
CO: At te pascentem alienas rure capellas
Compertum pavuere, & quid clamauere subulci
Nuper, ubi porca lustrabat Phædimus agros?
ME: Tum credo, cum me terrestria fraga legentem,
Aut risere mala findentem ligna securi?
CO: Aut ad aquam sub dumetis, ubi stringere glādes
Dictabas puerum, & uites transferre nouellas,
Aut ubi te excepit, qui nunc uenit, aspice, Damon.
DA: Non hoc ista sibi tempus certamina poscit
O pueri, nunc omnis ager se laxat, & omnis
Sylua comam fundit, nunc sol altissimus orbem
Eleuat, hic melius platani frōdente sub umbra,
Iurgia uel Cedri, uel ludere Phyllidos ignes.
ME: Et quid enim mercedis erit? uel si libet hirco
Certemus, palmam nec uictus deinde morabor.
DA: Imò hoc ipse pedum ponam, ne forte recuses

Ferratis uinctum nodis, hoc uictor habeto.
Incipe tu Corydon, tu respondeto Menalca.
CO: Principio pater oĩpotens pater oĩa Phœbus
Perficit, agrestes pastorum ille audit amores.
ME: At nos Pana Deum colimus, Pan semper opacum
Exercet nemus, et pecorum mapalia lustrat.
CO: Primus amor Phœbi Daphne, nunc carmina Phœbo
Et numeris Daphnen resonant et pectus uerni.
ME: Pan fuscam Syringa tulit, Pan primus agrestes
Instituit calamos fuscam Syringa canentes.
CO: At mihi purpureas pueri ne lædite uites,
Misit Hylas nobis longinquis hospes ab oris.
ME: Hanc abiens Daphnis platanum laurosq uirentes
Inseruit, Daphnis ruris frondator opaci.
CO: Nerine ante alias placuit mihi candida nymphas,
Plus ego te cælo, plusquãm mea lumina amabo.
ME: Me Glyceræ nitor urit, ego illi mutuus ignis,
Cuncta feram mea uita, mori si denique ~~cogar~~ mandes.
CO: Quantum hederis uiolæ uel cãdida lilia præstant,
Tantò formosis formosior omnibus illa magis.

ME: Coniferæ quantum ſuperat arbuſta cupreſſi,
Tantum aliæ huic meæ cedunt me iudice nymphæ.
CO: Dulce apibus caſiæ, cytiſi dumeta capellis,
Graminibus riui, Nerinæ oſcula nobis.
ME: Triſte capræ teneris virgultis, vitibus umbræ,
Fluminibus iunci, Glyceræ peregrinus amator.
CO: Munera prima dedi puero, quum miſerat Alcon,
Caſtaneas molles, ⁊ lectas arbore ficus.
ME: Ipſe meæ Veneri voluit quæ dona ferebam,
Albentem maculis, ſunt cætera rubra, catellum.
CO: Huc ades o dilecta, meæ lux unica vitæ,
Si qua tui ſaltem Corydonis gratia manſit.
ME: Cras hædo agricolæ læti faciamus ⁊ agna,
Producat Glycere pago comitantes coreas.
CO: Nerine violas amat, has neque prata roſarum,
Nec ſerpilli vincant, nec ſuaue rubens hiacynthus.
ME: Hanc Glyceræ poſuere manu prope flumina myrtum,
Huic neque Medorum ſyluæ certare laborent.
CO: Paſtores in tumulo Cerealem ſtringite ſpicam,
Hic ignaua palus obſedit paſcua iunco.

ME: Tityre dum prima resecas noua gramina falce,
Prospice, flaua malis carpuntur prata chalydris.
CO: Mors [illegible] Chromium, meus est natalis, Amynta,
Hanc illi querno fiscellam munere texo.
ME: Pastores pariendum uirgulto arcete Myconum,
Huc geminas nidum uidi posuisse palumbes.
CO: Nunquam fœta truci periit mihi peste capella,
Montanis Dryades cur non properastis ad antra?
ME: Hic mihi dum specto teneros iuxta gemellos
Spem gregis agna tulit, Lycidæ mittamus ad urbem.
CO: Hæc ego uiminis seruabo examina septis,
Bis pubem educunt, bis cerea castra resignant.
ME: Hæc modo deposui sulcis iuncta repandis,
Aridantur, mox fronde noua uentura sub auras.
CO: Felix Mopse tui pecoris, felicior illis
Qui nemora exercent, aliaque retia siccant
ME: Sæpe manus gregibus uetro est, dum pabula carpunt
Qui Paulos simulant, & Flacci dogmata pangunt.
CO: Dic quibus in terris, & auena hanc ipse remitto,
Efficit haud ullas cum sol altissimus umbras.

ME: Dic quibus in terris, & palmam solus habeto,
Lucis sat spatium geminis non amplius horis.
CO: Scin tu quis superas in luminis editus oras,
Bis genitus, de patre semel, de matre secundum?
ME: At tu, quis tumulatus humo, bis nigra videre
Tartara, bis potuit Stygias innare paludes?
DA: Sed tu desine plura, ferret sua præmia victor,
Nec tamen alterutrum frustrà cecinisse probabit,
Aut molli caseo, aut vitrea donabitur ansa,
Non æque cunctis tribuit iaculator Apollo.

Melanthon.

Ecloga septima.

In memoriam Dñi Philippi Melanthonis, s. præceptoris

Corydon. Daphnis.

Si qua tamen querulos æquabunt uerba dolores,
Has tibi per saltus, per tristia rura Melanthon
Exequias damus, et funus comitamur acerbum:
Quamuis clara tui tetigit quoque limina Regum
Luctus, et aëriæ flerunt tua fata cupressi.
Ergo cum primum tenero sub rore gaudentes
Auroram uolucres et lumina prima salutant,
Sic Corydon, et sic referebat in ordine Daphnis.
CO: Interitum Musæ tristesque Melanthonis urnas
Flebant, exanimes Musæ, vos flumina testor
Et sylvæ, et crebris resonantia saxa querelis.

Talis umbroſo latuit cum ſolus in antro
Albis, ⁊ ignava mœſtum caput abditus ulva,
Tantum augens fluvium lacrymis, et regna profundi
Intrantem pater Oceanus Nymphæque ſorores
Mirati, abruptos quo daret ad littora curſus
Verteret, inſolita qua ſe regione tuliſſet.
Vos Coryli teſtes, cum filia mæſta parentis
Multa prius conqueſta ſui miſerabile corpus
Geſtaret, fruſtraque Deos atque aſtra vocaret:
Hic riguos nemorum fontes ⁊ prata Melanthon
Incoluit campis florentibus, ô ubi campi,
Et rigui fontes, ⁊ nemorum cura Melanthon?
Albiades illum Nymphæ, quas Miſnia nutrit,
Saxoniæque ferax herboſo alit ubere campus,
Illum etiam Arctoo populi flevere ſub axe.
Paſtorum pueri nemorum per opaca feruntur
Qualis amiſſo paſcunt cuſtode iuvenci,
Conſpectumque loci deflent, ſedesque beatas,
Unde ſenex veterum recitabat carmina vatum,
Unde dabat ~~[illegible]~~ pueris, vitæ præcepta gerendæ:

Illi facundis præbebant vocibus auras,
Gaudentes spectare virum, & submittere dicta,
Atque domum medio assumptum deducere cætu.
Heu cadit in parcas tantum scelus? heu tua terris
Funera deberi? fuit hoc quod sæpe notavi
Garrula cum fracta cecinisset ab ilice cornix,
Territaque adversos requiessent flumina cursus.
Nonne satis fuerat, tua quod solatia dempta
Cygne, tuos oculos letho quod fata dedissent,
Si spes non aliam extremas, atque ultima nobis
Præsidia eripuerant? manibus date lilia plenis,
Spargite mi violas, supremo munere functum
Prosequar ad manes dilecti corpus amici.
Illa mihi infelix semper, semperque querelis
Apta dies, atro semper signanda lapillo,
Qua mihi nec raucæ prima sub luce palumbes,
Nec gemere in medio cessabunt sole cicadæ.
Quod superest, date pastores infumus f flebile
Exequias, & humum subducite mollibus herbis,
Et tumulum facite, & tumulo superaddite carmen:

Clarus ego in ſylvis, fuerat dum vita, Melanthon
Hoc senior poſui tumulo morientia membra.
DAP: Non ô non totum nobis te fata Melanthon
Abstulerint, ſuperq; claræ pars optima mentis,
Jam cœlum, iamq; aſtra tenes, & cognita Lunæ
Sub pedibus vaga regna vides, quæ abdita dudum
Naturæ ſueras miratus ſigna latentis,
Nunc recluſa vides, illuſtrique obvia cœlo,
Quid patulis ſeſe cogant regionibus orbes,
Et Sol obliquum ſpatio quod clauderat annum.
Nos tamen extremum grati teſtamur amorem,
Et tua deferimus lugubribus oſſa camœnis,
Et manes caros, & cari buſta parentis
Ploramus mœſti, ac morem celebramus amicum
Fortunate ſenex, tu nunc optabile luſtras
Limen, & ætherei ſpacioſa volumina cœli,
Nunc veterum alloquio, quos ſecula priſca tulerunt
Paſtorum frueris, Cygnique amplexibus hæres.
Haud quam te lætum excipiet? quibus actus ab oris
Antiquum recoles tanto poſt tempore amicum?

Ergo dum magni commercia carpis Olympi,
Lætamur, gratosque tibi gratamur honores,
Applaudunt ſyluæ, plaudunt pecudes, feræq;
Applaudit pecus ore, Deus deus ille Melanthon.
Ecce tibi diuine ſancte altaria bina,
Pratorumque decus molas, fumosque Sabæos.
Has tibi ſolemni ritu ſacrauimus aras,
Et læti laudesque tuas nomenque memores,
Siue orbata diu ploremus turba tuoque
Priuati aſpectu, ſiue res miseratus iniquas
Reſpiciat ſuperum genitor, fidumque relicto
Paſtorem, qui te referat, ſummittat ouili,
Æternum æternis memores celebrabimus annis.
Ante etiam uerſis retro pater Albis habenis
Seſe ipſum relegens Boiemica rura recurret,
Atque undis fontique ſuo contrarius ibit,
Pectore quam ſacri labatur cura Philippi.

Lycidas.

Ecloga octava.

In memoriam M. Joannis Weidneri amici charissimi.

Te quoque te Lycida meliori carmine dignum
Deflemus, manesque tuos cineresque beatos
Dotamus lacrymis, ades huc ades inclyte Vates,
Elysium si te nemus, ⁊ sacrata piorum
Lustra tenent, magnique habitas confinia cœli,
Dum tua lugubri prætexo busta cupresso.
Hic tibi Panchaeis spargentes funera succis
Pieridas Musæ, non illis ulla diebus
Aut sacros tetigit lucos, aut vertice Pindi
Saltavit, Lycidas subita cum morte periret.
Illum ⁊ pastores flevere, agrique iuventus,

Illum etiam pecudes, non illis paſcua cordi,
Tantum autem ſyluas cum luctiſono mugitu
Implere, ut gemuerunt amnes, ut Rhenus, ⁊ ingens
Eridanus, montes Lycidam vallesque vocarent.
Verba leguntur adhuc inciſa in cortice fagi
Fluminis ad ripam, lacrymis q̄ paſtor obortis
Deſcripſit, legitque oculo fluitante viator.
Venit Sarmaticis a collibus inclytus arcu
Cynthius, hinc vires herbarum, uſusque medendi,
Pæoniæque artes curæ, iam tum quoque doctus
Multa manu medica fruſtra tentabat, at illi
Letiferum non ulla levat medicina dolorem.
Ipſe quidem attollens oculos iam morte gravatos
Dicere conatus, cui Phœbus, deſine, dixit,
Cedemusque Deo, dixi dum fata ſinebant,
Et nunc clara tui poſt funera reſtat imago,
Quanquam ſollicitis tabeſcant pectora curis,
Et requiem negat ille dolor, illa invida peſtis,

Quæ Musam nomenq odijs infestat acerbis,
Jamque datum vitæ satis est, tibi fama superstes
Et cineri iuuat non inuidiosa sepulto.
Illum atra iam tum aduentantem nocte tenebras
Istula piscosi gemuit sub fluminis vnda,
Istula tergeminus, pelago gratissimus amnis,
Dum gelidas præter nequicquam labitur vrnas.:
Ergo ego tum felix dicebar & inclytus amnis,
Felicesque meæ ripæ, felicia prata,
Gaudebant pecudes, resonabant carmina sylvæ.
Nunc mihi nescio quis calamos inflare sonantes
Assuescit pastor, multum o multum ista priori
Degenerant ævo, nec adest prior ille magister.
Infelix Lycida, si non mea flumina circum
Et seruare licet pecudes & dicere carmen,
Quod licuit, munus supremum ad busta feremus
Hic tibi, & æternis cæsis lustrabimur vmbris:

Nunc etiam ritus alij, nunc mira canentes,
Monstra st crepant Stygijs procul hinc accita cauernis,
A Cerere & Bacho cæli consortia pendent,
Et furtis sacri repetunt commenta papatus,
Et numeros curant, & censu dogmata mutant.

Tu sanctos inter manes, animasque beatas,
Maiorum celebres lauros, et diua ~~Lutheri~~ Philippi
Ora recognosces, illum quem saepe stupebas
Si quando patrio fundebat carmina ritu.
Vos mihi pastores uiridanti in margine ripae
Hunc tumulum, atque illic geminas sacrabitis aras,
Spargetis raro uiolas, uiridemque hyacinthum,
Et seseli folia, et florem bene olentis anethi,
His ita compositis suaues miscentur odores.
At tumulum circa uelati maxima Datis
Numina conclamate, et manes uoce ciete,
Exequias date solemnes, date sacra quotannis,
Inscribam tumulo lacrymas, atque ipse notabo:
Hic tandem positus Lycidas post fata quiescit
Exuuijs, alium quem rodas quaerito Liuor.

Istula sic ripas circum et resonantia longè
Flumina condebat lacrymas, neque tempore ab illo

Viderunt lætum pecudes, sic ille sub undis,
Aut nemore obscuro latitans immitia fata
Plorabat Lycidamque suum, si scilicet ullum
Huic pastor similis posset lenire dolorem.

Daphnis.

Ecloga Nona.

Tityrus et Mopsus.

Mopse iuuat dulces mecum instaurare querelas
Daphnidis erepti, quas mæstus abiuerit oras,
Cum notos saltus, & nota relinqueret arua?
Hic tibi sylua sonis, nemorumque q̄ maxima, frondet,
Hic & populea mærens philomela sub umbra
Flet noctem, & solus luget sua pignora turtur.
MO: Aut hic ad uirides hortos, ubi ~~sæpe solebat~~ gramina riuus
Perstrepit irriguus pratis, ubi sæpe solebat
Arboribus teneris tacitos incidere amores,
Seu corylis mallet, seu duræ in cortice fagi.
Tu Daphnin, desertam ego solo in rure Lycorim
Versibus alternis, hic audiat ipsa, canemus.

TI: Daphnim Sarmatico nutrit ſub ſidere tellus,
Pruſsia uenatu felix, felicior undis,
Illum monticolæ Dryades, ⁊ rector aquarum
Iſtula per campos nemorum præfecit honori.
MO: Daphnis Leucoreæ nuper bonus accola ſyluæ
Parnaſsi reduces coluit de uertice Muſas,
Illum etiam fluuij mirati, illum inclytus Albis
Populea iuuenem uoluit donare corona.
TI: Daphni quid antiquos paſtorum ſuſpicis agros?
Hic tibi Gryphæum nemus, hic formoſa Thalia,
Hæc primum Aoniæ montes te duxit in altos,
Ut metuit, ne quos dumos aut ſtagna timeres.
MO: Daphni quid ignotos tum mirabere lucos?
Hic etiam ſyluæ, ⁊ nemora, ⁊ tua cura Lycoris,
Hic ego te primum modulantem carmina uidi,
Ut metui, ne quæ traherent te ad flumina Nymphæ.
TI: Me ſyluæ primum uirides, nec gratia ruris
Detinet, ut placidæ ueniant ad carmina lauri,

Donec amant fontes, & amicas fontibus umbras,
Haud mihi se quisquam tulerit catando priorem.
MO: Te virides sylvæ, placidi te ruris amores,
Nos desiderium & luctus sustentat inanis,
Donec enim gelido retinet te Prussia cælo,
Haud unquam in noctem cessabit flere Lycoris.
TI: Prussia alit reges, & regum sanguine natos,
Multaque vere novo nemori se subijcit alnus;
Si saltus mecum Arctoos & frigora carpes,
Non hos Leucoreo mutarim flumine saltus.
MO: Leucoreo quondam cecinerunt littore vates,
Leucorides & stagna colunt & flumina Nymphæ,
Si mecum libeat tibi sordida degere rura,
Hic tecum extremo moriens consumerer ævo.
TI: Floret odoriferis mihi consita malus in hortis,
Cui nemori nostrum signavi in stipite nomen,
Illa meam longos famam gestabit in annos,
Et quantum malus tantum nra noia crescant.

Mo: Infelix scripsit se stirpe Lycoris eadem,
Ah quantum & quoties duro dedit oscula ligno,
Texuit & circum virides ex flore coronas,
Spirabunt flores, spirabit suavius arbor.
Ti: Sint mihi præsentes adeo mea numina Musæ,
Atque aliquæ Penei ducant stagnantis ad amnem
Amnem quo gracili ramirescunt palmite lauri,
Hic mea sacrata pendebit fistula quercu.
Mo: O mihi tam longæ maneat pars ultima vitæ,
Ut te Daphni, meæ vires, mea sera voluptas
Accipiam, hos coram vultus hæc ora tuentem,
Hanc lucina feras votivam Delia lethon.
Ti: Dum platani rivis gaudebunt, montibus umbræ,
Dumque lupus capram, cythisum dum capra sequatur,
Semper ego Musas sectabor, semper, apricis
Collibus errantes in Castalio Helicone.
Mo: At tibi ego hyberno videar violentior Euro,
Si pulcher Daphnis non me mihi charior ipsa est,

Daphnis cuius amor tantum mea pectora torret,
Quantum quæ ſuperis exuritur ignibus arbor.
TI: Cum primum æſtiuos repetet Sol aureus orbes,
Cum ſitit omnis ager, reſonatq arbuſta cicadis,
Mænalon ⁊ uiridis uiſam pineta Lycæi,
Æcquo ſe nemori intulerit ~~[illegible]~~ formoſius Apollo.
MO: Cum tepido primum exſerunt aſtra die,
Et tenero primum diſtillant gramina rore,
Lancorros ualeq lucos, ⁊ flumina nota,
Ecquo pulcra meus tulerit ueſtigia Daphnis.
TI: Nunc terras alias alio ſub Sole uacantas
Luſtrabo, æquoreos ubi uerberat Iſtula fluctus,
Nunc meus ſtrato lantandus in æquore remus,
Vos Nymphæ nemorum decus ⁊ nemora alta ualete.
MO: At me longa dies ſolam ſub frondibus atris
Errantem teget, ac miſera te uoce uocantem,
Si tamen ante meos cineres leuis agger habebit,
Daphni uale, ⁊ n̄rm ſerua ſub pectore nomen.

Ti: Quid referam? quæ dona dabo diuine poeta?
Est mihi fraxinea cælatus cantharus ansa
Illic Isacidas pecudes in pascua ducit,
Et medios signat mutati uelleris agnos,
Hic baculo agresti Moses, & quis fuit alter
Cum pictas radio gestabat fronte corollas?
Cætera sed croceus circum se fundit acanthus.
Hunc tibi docte puer tali pro carmine dono.
MO: At tibi quæ uentrem tumet inspirata bouinum
Fistula munus erit, magno in certamine nuper
Obtinuit Corydon, cum rustica turba sonori
Murmure iam calami satiata, ad iurgia passim
Irent, & iamiam calices trullæque volarent.
Brachia cum subter flatu collegerit auras,
Paulatim in uentos recidens, hac sibilat utar,
Hac uocem docili format modulaminis canna.

Thalia siue Gedanum.

Ecloga Decima.

En tibi supremum formosa Thalia laborem,
En tibi quos solidæ calamos mercede redemi
A docto Corydone, pedum hoc, ⁊ fiscina duplex
Flexilibus virgis consepta ⁊ vimine raso,
Vilia sunt magis, aut vario cum torque Molossus.
Ille tuum Corydon cantans ad sydera nomen
Tollebat, tu læta gradu per prata superbo
Ibas, ⁊ viridem spoliabas ruris honorem.
Dum licuit fruimus Corydon, nunc oībꝰ antris
Pastor arundinea didicit stridere cicuta.

Est iuxta Rodani ripam nemus abiete rara,
Distinctum paribus spacijs, vbi riuus opacam
Labitur inter humum, medio quã solis ab æstu

Fistula pomiras pecudes agitare solebat,
Sederat hic mamini, vt propius dumeta latebam,
Et septemgemina texebat arundine cannas,
Tanquam audituræ dictans sua carmina syluæ:
Dulce decus ruris, collis mihi dulcior Hÿblæ,
Huc ades o formosa, dijs uenerabile nomen,
Nympharumque dea, o pulcerrima Neptunine
Hoc tibi littorea sertum de fronde paraui,
Formosum uiolis, gracili de uimine circlum,
Huc ego congessi prati fragrantis odorem
Narcissum tenerum, ⁊ multos sine nomine flores,
Liliaque, fragilesq rosas, herbamq hyacinthi,
Et mollem casiam, ⁊ candenti flore ligustrum
Hoc tibi gestamen, festis cum compta diebus
Syluestri comitum lustrabis ouilia plausu,
Et dicas: nostri donum hoc Corydonis habebo,
Ille quidem hos olim saltus, hæc rura solebat
Incolere, hic illum vidi vineta legentem
Narrantemq suos ad amænum flumen amores,

Me ſolam atque unam geſtabat in ore Thaliam,
Sæpius ac dominæ ſeſe ad mandata ferebat,
Uuida ſeu pecori ſecuiſſem gramina, ſeu cum
Monticolis agerem nymphis immiſta choreas,
Nunc illum a nobis alio Deus egit amantem,
Perque niues aliam ſequitur, per inhoſpita luſtra,
Forſan & huic tantum poterat confidere dextræ.
Sic dicas, mihi ſumma dolor tranſibit ad oſſa.

Huc ades o formoſa, tuis hic omnia plena
Carminibus, tibi ſylua comas, tibi uinea frondes
Educat, et placido gratantur murmure ſyluas,
Huc ades o formoſa, quis ge nam ludus ouantis
Ante lacum cygni? quid ſe nemus inter opacum
Agmine certantes uario immiſcere uolucres?
Omnes intenti, nunc omnes carmen oloris
Expectant, ſyluæ quatiunt, & flumina ſiſtunt,
Ille ſecans celeri curſum ſuper aſtra uolatu
Omnia ſigna legit tacito labentia cælo,
Et dulcem reſonat liquida inter nubila cantum.

Dicite Gedanides fluviatia numina Nymphæ,
Carmina quæ cygnus, vel qualia dixerit illis,
O Nymphæ meminiſtis enim et memorare poteſtis;
Quæſieram e nymphis, illæ numerare iubebant,
Fluminis ad ripam, quot in alto gramine iunci,
Quotque ageret niveo ſilices pater Viſtula fundo.
Dicite Gedanides fluviatia numina Nymphæ
Saltem quo tulerit greſſum formoſa Thalia?
Hic equidem modo per virides ad flumina campos
Plaudentem ~~Ingreſſam~~ vidi, ſed me mala fata trahebant.
Namque ego dum tacito ſector veſtigia paſſu,
Ecce meus clara gallinam ex vepre fugabat
Voce Lacon, dum clamo canem, dum verbera porto,
Non potui, illa autem vicinis ibat ab antris.
Quæſieram e Nymphis, illæ ſub colle virenti
Monſtrarunt viridem pratis beneolentibus hortum,
Hortum ubi lucentes ridebant gramina rivi,
Mitis ⁊ æſtivos ſpirabat campus odores.
Hic innupta manus ſociæ coniuncta Thaliæ
Plaudebant choreas, aut fronti ſerta legebant.

Ipsa inter comites platani ludebat in umbra,
Nuda genu, ⁊ corylo flavos innexa capillos,
Ferventem capiti prohibens a sole calorem.
Ast ego per densam contexto vimine sepem
Spectabam tenerosq pedes digitosq decoros.
Ut vidi, ut primum dubito vidisse Thaliam,
Sic solito nymphas inter formosior ibat.
Fulgebant geminis rutilantia lumina stellis,
Ut si mane duos videas exurgere ponto
Luciferos, cæloque ambos capita alta ferentes,
Flava comas, ⁊ labra rubens, ⁊ candida dentes,
Ah quales vidi teneri sub veste papillas,
Ceu teneros primum pulsos a matre gemellos,
Et graciles lateris tractus, ⁊ lactea colla,
Adde manus ebori similes, ⁊ brachia molli
Candidiora nive, tum formosissima crura,
Ut geminæ surgunt crispanti cacumine cedri.
Sed quid ego hæc memoro, ⁊ demens suspiria duxi,
Et mecum tacitus cælo mea vota ferebam.
Si tamen hoc etiam pater o Neptune negasti,
Jmprobus ⁊ si me studiis convincat Amyntas,

Hanc tamen effigiem, radio quam doctus Jolas
Inſculpſit ſuper ære, ſimillimaque ora Thaliæ
Pro te Diua colam, tunc mollem de ceſpite lectum
Gramineum faciam ripa, iuxtaque cubabo
In duro pernox ingratus corpora ſaxo,
Hic geminis pharetram clauſtris, arcumque nitentem
Suſpendam, & Geticis onerabo brachia telis.
Inde dapes Cereri libabo, & vina Lyæo,
Saltabit Lepidina choro, modulabitur Alcon
Sarmaticis numeris, octogenarius Alcon,
Cui pellem modulo docuit tinnire caprinam.
Dum queror, ecce choro comites cuere ſoluto,
Et denſam Nymphæ circumfudere coronam.
Dicite Gedanides fluuialia numina Nymphæ,
Quo mea portatis mihi gaudia? quone Thalia
Nunc iterum quærenda loco? quibus abdita lucis?
Quæſieram e nymphis, illæ oſtendere remotum
A ripis nemus, & gelidos ſub fronde receſſus.
Hic variæ ludunt volucres, & carmina ramis
Ingeminant, denſæque cadunt de quercubus umbræ.

Hic platani, corylique teres, sunt hic quoq; lauri,
Et grato vicina lavit se populus amni.
Hæc domus ⁊ fessæ tectum nemorale Thaliæ,
Cum Sol est medius, cum flumina celsior haurit.
Hic lucos philomela suos ⁊ carmine ripas
Exercet, gaudent luci, ripæque resultant.
Accessi ⁊ post me tacitus uirgulta recondi,
Neue darem incautos prouidi corpore motus.
Qualia dij nemorum vel quanta his auribus hausi,
Multaque descripsi meditans in cortice sicco
Quæ poteram meminisse, ⁊ mecum condita seruo.
Hoc nemus est hoc unde uolans pernicibus alis
Æthera sulcabat liquidum ⁊ Titania regna
Doctarum Regina animum, cœloque uolabat.
At uolucres parijsse ratæ concentibus auras
Implebant, tumulumque in eo torrentis arenæ
Condebant, uacuasque sacrabant manibus urnas.

Ipsa etiam ingeminat lacrymas tristata Thalia,
Seque infælicem fato, inuisamq; ferebat
Dijs cæloque suo, ⁊ rumpebat pectore questus.
Ne plangas formosa, ⁊ inanes siste querelas,
Huc ades, ignari faciant sine funera ciues.
Tu gratare tibi, atque ~~[illegible]~~ circumspice campo alium
Quam egregibus facias regem, regemque iuuencis.
Namq; ~~[illegible]~~ malus audebit summittere furto aliquis
Armenta, ⁊ tristi corrumpere pascua succo,
Aut illaudati miscens odia aspera martis
Vastabit segetem, fraudati uota coloni,
Et piceo implebit villarum tegmina fumo.

Fortunata Deum soboles, domus ipsa deorum,
Rura tibi tamen hæc, atq; hæc uineta uirebunt
Ampla satis, tristi rumpantur ut ilia ~~[illegible]~~ Coruo.
Hinc alta pastor tibi uoce sonabit ad auras,
Aut pecori lentus recitabit carmen in umbra,

Dum canit aut Lalagen, ⁊ vinctis Phyllida palmis,
Aut ſi cui miſerum Galatea negavit amores:
Exere ſydereum viridi caput exere ponto
Lucifer, indignos dudum ſub nocte labores
Perfero, ⁊ indignum queritor deceptus amorem,
Nunc te ſupremum Galatea qd alloquor hoc ge,
O miſer, o primum per te miſer, ô ego qui te
Perditus ~~[illegible]~~ Aſſiriæ noſtræ ſimilem Galatea putavi,
Quæ regum ſobolem flammq ardebat Adonin #
Hinc antrum undiſono lætum caput abditus alveo
Iſtula arundineam veſtit denſa ilice ſylvam,
Perque ſuos tacitus leni fluit agmine campos,
Iſtula quo pecudes gaudent, quo corpora nymphæ
Abluerunt, ventosque mari Neptunus aperto
Summittit, fluitant pinus, ⁊ carbaſa ſummo
Appar~~ant~~ malo, complentur remige ripæ,
Et piger occiduas ſubvectat Mottela merces.
Tu veluti niveis in vallibus aut hiacynthi,
Aut nitidæ ſplendor violæ, quam ſæpe puellæ

# Tuque peregrinos demens ſectaris amores,
Heu infelicem thalam~~um~~os, turpemque Hy-
menæum.

Sæpe legunt pueri, ⁊ ſertis capita alta coronant,
Quam gelidi maturant imbres, quam lædere venti.

Hæc Corydon, ſaturosq domum iubet ire iuvencos,
Molliaq in ſtabulis ſubter familia ſternit,
Mox ſibi quod riguo multum creſcebat in horto
Truncat olus, lymphasq infert, furcaq bicorni
Deijcit e fumo durati tergora porci,
Sternitur ipſe thoro, dapibusq epulatur inemptis
Ante focum, ⁊ lactis concreta coagula ſorbet,
Alcippe mulget pecudes, Lepidina miniſtrat.

Bucolicorum
Finis.

Bucolicorum

Finis

Caſparis Schut-zij Isleuienſis

Fuga Abſolonis.

Prima mihi tenues ſylueſtris muſa camænas,
Paſtores, Dryadaſque, deosq; induxit agreſtes,
Carmina quæ uacuis luſiſſet Tityrus horis:
Nunc ego ſylueſtri paulum digreſſus ab umbra
Regales etiam lucos, etiam aurea tecta
Luſtrabo, interdum pugnas ⁊ inania Regum
Funera mirabor, præſertim marte feroci
Abſolonum patrem contra uetita arma mouentem,
Egregijs auſis miſerum. Tu Muſa memento
Unde furor Solymis abeuntem exciuerit oris
Triſtia bella ſequi, ſceptriſque inhiare paternis.
Heu miſerum ⁊ dira pendentem ex ilice Regem.

Abſolomum natis Genitor magis omnibus unum
Complexus teneræ multum indulſiſſe iuuentæ
Creditur, inſigni quamuis et regia mater
Sublimem tollebat auo, qui maxima quondam
Regna Palaſtinæ uictor ditione premebat.
Conſpicuus iuueni uultus, decor oris honeſtus,
Grataque florenti ueniens in corpore uirtus,
Jam fidens animis, iam plenis integer annis,
Barbaque uix prima ſignans lanugine malas.
Olli denſus patrio de more capillus
Bis tantum ſolis anno uertente cadebat.
Huic germana fuit, qua non præſtantior ulla
Inter Judæas forma conſpecta puellas,
Jam matura uiro Thamyris, quæ prima malorum
Cauſa fuit iuueni: namque illam perditus Amnon
Conſortem generis, plus et quam frater amabat
Infelix, tacitumque coquebat in oſſibus ignem.
Arguit haud dubium facies deformis amorem,
Infectæ pallore genæ, non lumine ſomnos
Admittit, non ore cibos, tantum ille furentes

Pectore uoluebat flammas, penitusq medullis
Haud alijs æque notus consederat ardor.
Ergo æger morbum simulans decumbit, et illum
Visurus genitor uenit, proceresque secuti,
Et fratres aderant, pariter uenere sorores
Indutæ regale aurum, uestesque decoras.
Cunctantem Genitor, morbi quæ causa latentis,
Qui dolor, hortatur fari, quæ deinde ferat spes,
Multa super morbo rogitans, ignarus amorum.
Ille facem morbi Thamijrim, uultumque decentem
Aspectans simul ingemuit, sed lumina nusquam
Auertit, penitusque effunditur ora rubore,
Tum Regem alloquitur: quod te rogo mi pater hoc est,
Conficiat Thamijris mensas, ⁊ adorea liba,
Est ægris amor ⁊ quoddam discrimen edendi.
Annuit, ignaræque dedit mandata sorori
Non has insidias ueritus, iamq illa polentam
Coxerat, ⁊ tosto Cerealia munera farre,
Admouitque cibos ori, discedite tectis
Exclamat, res est utrique arcana, ministri.

Paruerant, ille iniiciens per colla lacertos,
Protinus infandum effatur confessus amorem,
Vimque adhibere parat trepidae, rogat illa parantem,
Ne frater, facimus ut nos admittere foedum
Dicamur, non hoc regis assuescere dignum est,
Quin, si tantus amor, genitor magis ipse iugatos
Consociet, nunc tu scelus hoc absiste precari.
Ille autem inuitam magis et magis excitus ardet,
Nec mouere preces fratrem lacrymaeque sororis,
Quum stupri super accumulans inamabile crimen
Infandis odijs, foribus malus expulit actam,
Luce palam media, et dictis dimisit acerbis.
Illa et purpureos conuellit uertice crines
Assiduum lacrymans, et uestem a pectore rumpit,
Vestem foeminei decus atque insigne pudoris.
Clamantem et querula nequicquam uoce gementem
Absolomus solari, et curam demere dictis:
Ne fletus germana tuos sine fine dolori
Indulge, frater nempe hoc te crimine frater
Dedecorat, facti manet illum forsitan ingens

Exitus, & magnis nunquam tetigiſſe ſororem
Optarit, ſed tu ceſſa uulgare pudorem.
Sic ait indignans, mæſtamq; in tecta recepit.
Exinde ardentem curæq; iræq; coquebant,
Et quæ prima uiam fratris Fortuna tuliſſet:
Cogitat ultorem, manet alta mente repoſtum
Ammonis facinus, triſtisque iniuria facti.
Altera iamque æſtas proceſſerat, altera meſſis,
Tempore quo primum depulſi matribus agni
Tondentur, niueoque cadunt de uellere lanæ,
Magnifico iuuenis conuiuia læta paratu
Inſtaurat, fratres pariter, paritérque ſorores
Aduocat, indulgent ultro, menſaſque frequentant.
Hic fratrem, nondum ingenti ſaturatus ab ira
Excipit incautum, & media inter uina trucidat;
Diffugiunt alij confeſtim, & pocula linquunt
Inſidias ueriti ſimiles, iam regia tecta
Fama quatit, ſocijs committi prœlia menſis,
Occubuiſſe alios ferro, ſæuire furentem
Sanguine cognato Abſolomum: Rex tendere palmas,

Testarique Deos facinus, tota atria mæstis
Compleri interius lacrymis, lamentaque passim
Fæmineo resonant planctu, resonantque ululatu,
Et luctus tota nequicquam accenditur urbe.
Ecce autem elapsi media de cæde parantes
Incolumes subeunt, patet illum triste sororis
Connubium haud animis totum perdisse superbis,
Ammonem thalami scelus expendisse merentem.
Inde mali primum labes, atque inde feroces
Extimulans animos, iam tum suspectus honorum
Ibat, iam reges vel tentabat et urbes.
Ut uero genitor mentem reuocauit ab ira
Ignarus rerum, reducemque in tecta recepit,
Ille mali oblitus uitæ ingratusque salutis
Spirabat regnum et patrios inuadere fasces.
Instant audaces furiæ, et spem mentibus addunt,
Hortanturque nefas crebro, miscentque uiro se,
Atque imis agitur pestis sublata medullis.
Præterea infernis (infandum) excitus ab umbris
Dicitur in thalamos falsi uenisse nepotis

Ciſsides, media turbans insomnia nocte,
Horridus, & picea obtutus caligine vultum,
Qualiter abiectis Gilboæ in vallibus armis
Occubuit, proprio surgens in vulnera ferro,
Turpatos monstrabat adhuc in pulvere crines,
Sanguineumq ensem, patulumq in pectore vulnus.
Olli autem subito aspectu tremor occupat artus,
Et steterunt horrore comæ, collapsaque mens est.
Anne etiam ingrati tibi nunc pia cura parentis?
(Talibus intonuit) nondum tibi debita fato
Nondum sceptra patris? nec avitis sedibus instas?
Non hic auspicibus superis mea regna capessit,
Molitus vitæ insidias, natamque parenti
Abstulit, & pactas inimico sanguine dotes.
Heu natum in thalamis etiam crudelis & huius
Spem senij obtruncat, nostro nunc funere lætus
Obtinet imperium, seq in mea sceptra locavit.
Quin surgas animis, & tandem sanguinis ultor
Exoriare mei, ferroque sequare parentem,
Nunc libens cedes? nec enim te in regna vocatum

Ni ſperares, genitum de pellice fratrem
Mittere in imperium iam nunc tenditque ſtudetque,
Eia age rumpe moras omnes, iam tempus agi res,
Ipſe tibi in bellum vires animoſque ſecundos
Sufficit aetherei rector ſublimis Olympi,
Nunc inclinator mentes et pectora vulgi,
Et gratos dubio ſciſcunt rumore tumultus.
Dixit, ⁊ immotum thalamis, genibusque tremendum
Implicuit collo, ⁊ falſum genitoris amorem
Praevertit, penitus ſeſe illi in viſcera ſpirans,
Delapſusque thoro caecis evanuit umbris.
Ergo audax capti tempus ſecum ipſe modumq
Exigit, ac dubiam verſat ſententia mentem,
Atque animum nunc huc celerem nunc dividit illuc.
Hic regem dudum compellat vocibus ultro,
Diſſimulans dirum pudibunda fronte furorem:
Sic genitor memini, ⁊ nimium meminiſſe neceſſe eſt,
Exul ut Hebronis degebam triſtis in agro,
Nec mihi iam patriam aut patrem ſpes ulla videndi,
Sic ego iuratis dudum ſidera verbis,

Perque tuum nostrumque caput, per quicquid ubique est,
Bis sex aurati tectos cornua iuuencos,
Mactare, & superum libamina uergere Regi,
Si patrias unquam remeassem tutus ad arces,
Nunc subit antiquae mihi relligionis imago
Soluere uota Deo, & solennem innectere uittam.
Da pater hanc ueniam, comitesque adiunge sacrorum,
Iamque adero coràm uotis mihi ritè paractis.
Haec simul effatus tacuit, pudor occupat ora
Conscius, & trepido saliunt praecordia motu.
At non ille nefas sacris praetexere natum
Mentitum credit, nec tantum mente furorem
Concipit, aut grauiora timet quàm corde paracta.
Addit bis centum, numeroque elegit ab omni
Spectata uirtute uiros, nec credere quibant
Insidijs aut fraude geri: mox certa per urbes
Exploratores socijs mandata ferebant,
Famaque finitimas uolitabat lata per oras,
Absolomum patrijs conari insistere sceptris,
Molirique manus impune, noua bella parari.

Conueniunt quibus aut odium crudele parentis
Aut metus inuidiæque, immanis procedit ad aram
Armatus, ferrumque stricto mucrone coruscat,
Fictaque solemni peragit sacra mystica ritu,
Inde duces populi iurant in uerba Tyranni,
Continguntque focos, ⁊ sanguine fœdera firmant.
Tum primum ad patris attonitas it nuncius aures,
Jungi iuratas infando fœdere dextras,
Jam plebem armari, ⁊ passim concurrere signa.
His dictis adeo ⁊ rumore accensus amaro
Puluere fœdatos crines sine honore trahebat,
Vnguibus ora notans amens ⁊ pectora pugnis.
Ast illum fidi proceres, unanimique corona
Solari instabant, animisque auertere curas,
Illi nulla leuant ægram solatia mentem,
Jam tædet lucis, mortemque miserrimus optat:
Sat uixi, ⁊ tali nequicquam tempore uitam
Optarim, uitam ingratam, superumque parenti
Inuisam, ex quo me primum scelerata libido
Compulit insanos animo tentare hymenæos,

Et pater immiti afflauit me numinis ira:
Iudex mihi rerum facies, atque inde nefandum
Natorum ſcelus, atq inter communia cædes.
O utinam tunc cum, ſi tantum ingrate uolebas,
Mactares germanum, eadem me ad fata uocaſſes,
Nate dolor patris, quid enim tibi perditus ultrà
Iraſcor? tantos aliamnum excuſo furores.

Hæc miſer effuſus lacrymis ⁊ plura ferebat,
Noctem addens lucem, dolor oſſibus æſtuat imis.
Tandem ubi mens rediit male ſanis reddita curis,
Stat ſacros tentare adytus, delubra deorum,
Et precibus ueniam, uotisque exposcere pacem.
Primum omnes plenis onerabant lancibus aras,
Muneribusque aderant crebris, linguaque fauebant.
Extemplò lectas ducunt de more bidentes,
Candentem uitulum, atq intactum terga iuuencum,
Et pecus innumerum: ſubit alba in veste ſacerdos
Vina ferens flammisq adolens Mareotica thura,
Tergaque multa boum mactat teroſa ſecuri.
Ipſe autem patera rex formoſiſſimus aurea

Albantis vituli media inter cornua vergit,
Effunditque preces, complevitque æthera votis.
Ecce autem Nathas media inter vota precantum,
Nathas quam longè rerum prescire futura
Monstrârat pater, et sacras preceperat artes,
Exiluit, multum pendens obtutus et exta,
Corda Deo plenus: Tua rex tua maxima proles
Bella tibi patriæque parat, video ipse trementem
Nequicquam Libanum, et nemorosa cacumina Idumes.
Heu quodnam facinus nullis memorabile Mauris
Intueor? tantumne animus illapsa libido
Infandique thori? refugit conversus ad ortum
Phœbus, et astrorum condunt umbracula Lunam.
Vis lituos etiam sonitusque audire tubarum?
Quid sibi sanguineo cupiat Bellona flagello
Cognatas miscere acies? licet ipsa cadentum
Pectora, et aspersas inter certamina silvas
Spectare, et patulæ suspendia tristia quercus.
Mox autem rapidos populos devictaque regna
Pax repetit, mansitque tuis gens effera iussis.

Dixit ⁊ obticuit, uariſque obſcura ferebat
Inuoluens, magnaque intus ſe mente fatigans.
Iſaides ſuperos ⁊ conſcia ſacra precatus
Ingentes ſecum uoluebat pectore curas,
Atque animum partes dubias uerſabat in omnes,
Cui locus auxilio rebus, quod deinde petendum
Conſilium, bello turbari comminus urbem,
Et miſeros cædi malit committere ciues,
Anne tuens ſufferre fugam ⁊ decedere regnis
Sponte ſua, ac proprium caput obiectare periclis,
Seque Deum fato rebus ſeruare ſecundis.
Hoc placet, hæc melior ſedit ſententia menti.
Poſtera cum cælo ſtellas aurora fugarat,
It portis iubare exorto delecta iuuentus,
Et paſſim triſti obuelabant lumina fletu.
Rex ipſe in medio lacrymis ſuper ora profuſis
Plorabat caſum ⁊ facinus miſerabile nati.
Tum comites mæſta ſolatus uoce profatur:
O ſocij, nec enim nunc prima pericula uitæ
Tentamus, fuit ante etiam mihi nota malorum

Tempestas, fuit ante etiam mihi cognita uirtus
Vestra, nec in dubÿs segnis patientia rebus,
Audete, ⁊ mecum casus descendite in omnes,
Cedamus paulum, donec mihi certa potestas
Scire quid intentet, quò primum iniuria belli
Transeat, infractis quæ sit spes cetera rebus.
Dixit ⁊ undantem ducens Cedronis ad amnem
Ibat, et assiduis lacrÿmis fracta ora rigabat,
Et notos montes tristis # ~~[illegible]~~ et urbes.
Spe,
ctabat
Ut uentum ad colles, hic quà mutantibus auris
Plurimus horrescit lucus uiridantis oliuæ,
Et latum uestit felici prole Taburnum,
Jamque humiles uicos modicamq; a collibus urbem
Intrabant, læuo cum scandens uertice montis
Occurrit Simeas, cui quondam indebita sceptri
Spes fuerat, namque antiquo de sanguine Regum
Mater erat, clarumque a stirpe nomen auorum.
Hic ubi deiectum solio, deserta petentem
Agnouit Regem, nec Dÿs nec uiribus æquis,
Sic ferus incessit, uerbisq; odia aspera mouit:

At tibi pro regnis, pro tot crudelibus ausis
Dij referant superi, Dij si quid lumine iusto
Humani aspiciunt, en quod tibi sanguine tanto
Quæsisti imperium, nunc te tua dextra fidesque
Perfide, nunc nato repetunt te vindice pœnæ.
Procul, i cælo ⁊ superis invise, tuumque
Damnatum caput his merito obiectare ~~[illegible]~~ memento
Exilijs, prior hæc pepigisti fœdera Saulo,
Nunc eadem natus servat tuus, audiat olim
Iessides, bustisque animo lætabitur imis.
Sic ait, ac falsis cumulat convicia dignis,
Quin etiam maiora audet, correptaque saxa
Vertice montano, ⁊ glebas iactabat inanes.
Illum iampridem comites indigna locutum
Ardebant ruere, ⁊ terræ prosternere cæsum,
Rex autem lacrymis sensim interdicit obortis:
Non ô non socij, iniustis neu fidite cœptis
Innocuas maculare manus, eat improbus iste,
Et nos ⁊ comites verbis incessat acerbis,
Non hoc sponte sua, Deus hæc Deus omnia iussit.
Cum meus hic sanguis, mea me charissima proles

Inſequitur bello patrem ⁊ furialibus arſis,
Cui fratrem letho coram dedit hoſpitibus Dijs.
His me prima malis oneras fidiſſima Coniux,
Ex quo te (heu miſerum) inſano labefactus amore
Conſpexi demens vicino in fonte lauantem,
Ah ſi non etiam miſiſſem ad bella maritum.
Si qua tamen ſuperum tangit miſeratio mentes,
Nec pater hoc totum genus aſt exoſus ad vnum,
Forſitan exhauſti ſatis eſt, atque haec mea quondam
Poſt bella ⁊ caſus regna exoptata remiſam.
Sin ~~aut~~ abſumpta ſatis, ⁊ quid pater amplius addis,
Adſum qui merui, in me conuerte furorem,
His ſaltem parcas oro, neu ſit tibi fixum
Unius ob noxa~~m~~s inſontem euertere gentem.
Sic ille effari, ⁊ ſocios cohibere minantes.
Interea Abſolomus, pariterque incondita pubes,
Moenia tendebant Solymes, atque omnis eunti
Gratatur populus, Regique indicit honores,
Et leue mutatur mutato principe vulgus.
Ille autem antiquos faſces ſublimis agebat,
Et ſolio incumbens regali inflatus ⁊ oſtro

Civibus imponit leges, quas ducere bello,
Quas armare manus uellet, tum ſigna maniplis
Diſtribuit ducenda, uiriſque exæquat et armis.
Præterea magnum uero ⁊ memorabile dictu
Aggreditur facinus, thalamos temerare paternos
Improbus, ⁊ matras regali in limine clauſas
In patris inuidiam tecto ſtuprabat aperto,
Luce palam media, ⁊ ſolem ducentibus aſtris.
Templum auguſtum ingens fuerat, ſublime columnis,
Aulai in medio, ueterum penetrale parentum,
Quo Reges ſummusque una conſcendere Præſul,
Et faſces ſoliti præferre, ⁊ ſiſtere ſacra.
Hoc templo uetarum effigies longo ordine Regum
Stabat, ⁊ Eoo ſeries contexta elephanto.
Ciſsides qui primum auſus regalia ſceptra
Accipere, ⁊ ſocios regnis depoſcere patras.
Tum Samuel albenti indutus ueſte ſacerdos
Pallade perfundit caput, atq; inſignia ſacri
Confert imperij, regemque edicit habendum,
Addidit ⁊ chlamÿdem, ſceptrum regale, coronamq;.

Hinc alij retrò insignes, qui fortibus ausis
Plurima pro patria pugnando uulnera passi.
Hoc medias inter turbas uox edita luco
Horrendum minitans, facinusq regis iniquum
Auertit Vates oculos, uisumque moueri
Cissidis caput, et regno gaudere nepotis.
Postera Phœbæa lustrabat lampade terras
Purpureum pelago spargens Aurora ruborem;
Cum rex consilium solenni in sede poposcit,
Et prisco ad templum patres de more uocauit,
Consulere in medium, quanam ratione parari
Bella uelint, ⁊ quæ primi fortuna laboris.
Assurgit cœtu in medio Cilonius heros,
Altum uis ueri, ⁊ facundæ gloria linguæ
Extulerat, cœloque animos sublimis agebat,
Quamuis consilijs habitus non futilis auctor,
Nec regnis quicquam inconsultum ferme mouebat:
Maxima res affecta uiri, penitusque potenti
Successum imperio, ⁊ quod uix promittere diuum
Audeat optanti quisquam, sors attulit ultrò,

Et populus gratatur ouans, ſociatque libanti
Arma manu, minimi certum eſt ſuperaſſe laboris.
Rex urbe expulſus deſerta peragrat eundo,
Nec ſe audebit campo vel credere Marti,
Exul, egens hominum, nulla ſtipatus opum vi,
Vix illum patria pauci de gente ſequuntur.
Hunc ego nocturnis cum Phæbus conditur umbris
Aggrediar, laſſumque uiæ, timidumque pericli
Perſequar, ⁊ nota fallam regione uiarum,
Vnum ſupplicio præſenti marte repoſcam
Pro multis, populumque tibi ſine ſanguine ſiſtam.
Dixit, ⁊ aſſenſu iuuenis proceresque ſecuti.
At bonus Aracides urbis contendere contrà
Inſtabat, fuit Aracides qui fædere pacto
Solus penes fidem patris, parteſque fouebat
Iſaidæ, ſed tum certa ſpe uenerat urbem
Vertere conſilium ſi quod daret Agitophelus,
Quum contrà inſidias meditatus uocibus infit:
Vt tibi Rex rebusque tuis dedit optimus auctor
Conſilium, mihi contra illum, cui copia fandi,

Cui uirtus, rerumque sedat prudentia maior,
Dissuadere nefas: sed enim mihi crede profecto
Non hæc in præsens consulta, nec illa parentis
Desidia est (nosti) vt ferro patiatur inermem
Se perimi, non ulla ducem uigilantia fallit,
Non illum insidiæ ualeant deducere cœptis,
Aut agere auersum, nec enim se credere nocti
Milite disperso solitus, quandoque recessus
Syluarum recolit notos ⁊ lustra ferarum,
A castris longe noctam traducere suetus.
At fera uis animo est, ⁊ cedere nescia uirtus,
Atque adeo multum bellis durata iuuentus,
Non ignara mali quondam patiensque laborum,
Larga quidem uitæ, atque in sæuam haud segnior iram:
Ac uelut e saxis nemorumue cubilibus ursi
Turbati, quibus immites e fornice partus
Abstulit, ac secum incautus fert præmia pastor.
Hoc quoque Rex inuicte iterumque iterumque moneo,
Ni renuis, dubio pendet discrimine bellum,
Si quis in aduersum rapiat, casusue, deusue,
Si saltem in minimis lapsum, magno oīa rumor

Effinget, maior rerum apparebit imago,
Continuoque noua horreſcant formidine mentes,
Non aliàs ſegnes in aperta pericula mentes.
Quin tecum accerſis quæcunque per arma iuuentus,
Quæque urbes habitat celſas, qui fertilis Hebri
Exercent raſtro colles, ubi pinguia lucis
Cedriferis Libani paſcunt dumeta iuuanci,
Quæque latus Tyrio clauduntur littore gentes.
Tuque adeo præſens belli dux ipſe, tuique
Pars populi iuxtà, multum mihi crede iuuabit
Addita ſpectatrix pugnæ præſentia Regis.
Quod ſi forte parens validæ ſe incluſerit urbi,
Namque ego non illum ad præſentia damna paratum
Crediderim, qui ſeſe æquo committere marti
Audeat, occluſum penitus delecta equitum uis
Obſideat, flammiſque parat circundare muros,
Excutiatque uiros uallo, tum comminus urbem
Expugnent, ſternantque ſolo fumantia tecta.
Dixit ⁊ aſſenſu iuuenes proceresque ſecuti.
Ille ut fortunam ſenſit ſuccurrere cepto,

Consilijsque fidem, multum lætatus idipsum
Nunciat Daidæ, neu se campestribus ultro
Credat, & obirdum celeri pede transeat amnem,
Ac paribus natum contra sese instruat armis.
Macte uir ingenio, cuius solertia Regem
Saluat, et infidi fraudem premit Achitopheli,
Arte pari, paribusque dolis doctum implicat hostem.
Is uoto falsus laqueo sua guttura nectens
A trabe sublimi pondus lacrymabile pendet.
Interea passim raptis exercitus armis
Confluit Absolomo, iuuenesque ad signa uocati
Imperijs adsunt, Jordani rauca fluenta
Omnis iam legio petit, omnis regia pubes,
Aduersum superant amnem, penitusq uirenti
Castra locant sylua, quà passim flumina propter
Ludebant uarij uolucres, lucoque uolabant.
Rex lituo turmas insignis obibat et hasta,
Pulcher & egregijs sese ostentabat in armis,
Effulgens regali ostro, cui circulus auri
Per collum nodis innectitur, aurea uirdat

Fibula purpuream chlamidem, capitisque decorum
Cæsaries humeris pendet, stant vertice cristæ.
Illi per galeam facies nitet aurea pressam,
Qualiter argento inclusus, nitidove electro,
Interdumque auro septus resplendet iaspis,
Ipse auro decens, atque auro præstantior ipse.
Ast ingens clypeo deducitur argumentum:
Ut Josuas primum Jordani venerit undam
Audax & vacuum fluvio traiecerit alveum.
Mirantur sylvæ fluvium, miratur & ipse,
Et sicco ludunt deserti in gurgite pisces.
Vicina ut ~~f~~ tremuerent urbes, sonituque tubarum
Illapsæ irruerent turres, volat agmina circum,
Culminaque alta solo posuit fumantia victor.
Juxtà autem Gideon, peditum quem sævus euntem
Insequitur nimbus, paribusque effulget in armis.
Tercentum falces, totidem theracas ahenos
Cinguntur, pictæque horrent in vertice cristæ.
Omnibus assuetum testamque facemque sinistra,
Et dextra gestare tubam, cum cominus hostem

Peruantum, iaciuntque facem, tectaque refringunt,
Accensique vnà conspirant cornua martem.
Extemplo turbatæ acies, inimicaque castra
Attonitis hæsere animis, subit improbus error
Cognatas fœdare manus, tum maxima totis
It castris formido, hostem iam stringere vallum,
Iam fossas superare, atque ignem immittere tectis.
Instant ardentes rabie, et formidine mista,
Sese ipsos ruere, & cæco contendere ferro,
Mutuaque inuisam subeunt per vulnera mortem.
Illi autem exercent cantus & prælia clangunt.
Parte alia Jephtas victricibus horridus armis
Crudelas aras natæ & fera sacra parabat,
Infelix Jephtas, diuis qui vouerat ultro
Intranti quicquid subijsset limine in ipso,
Si patrias unquam remeasset victor ad arces.
Hic salsæ fruges, & tincti sanguine cultri,
Et multa ad cælum patrio tonat ore sacerdos.
Ipsa autem in lucis cætu comitata sororum
Aut Libani syluis luctus celebrabat inanes,

Vicinos montes ⁊ flumina nota salutans,
Lustrauitque chorum, dixitque nouissima uerba.
Nec uerò uecte heroum, fortissimus Samson
Indicium manus artificis, taciturnus reliquit.
Cui neque desidiæ molles, neque pocula cordi,
Cum tenera primum inficerat lanugine malas,
Sed sæuam bello indomito tolerare iuuentam,
Sub dio noctem durare ⁊ frigora cæli,
Frangere claustra manu portarum, humerisq; referre
Æratos postes, nec tutis degere sÿluis,
Sed rabidam Tigrin, flauumque ciere Leonem,
Ad pugnam, aut sæuos turbare cubilibus Vrsos.
Forte Metÿmnæas ingenti strage leæna
Vastabat segetes, nigrantibus horrida uillis,
Omnes quæ latè uacuos cultoribus agros
Reddiderat, camposque unà pastumque tenebat.
Multi illam pauidi per lustra insueta coloni
Effugerant, multos crudeli miserat orco.
Hanc audax animi iuuenis, cum forte repertam
Conspexit, magno aggressus certamine uicit,

Non ille armorum facie confisus ⁊ aeris,
Sed fauces feris iniecto ad rabida ora lacerto
Discidit, ac fulva moribundam extendit arena.
Non illi irato quisquam se impune tulisset
Obvius ad pugnam: cum ⁊ rudentis aselli
Maxilla, si non telum ⁊ non arma teneret,
tota Millia multa virum misisset corpora letho.
Hæ humani propriæ vires, innataque virtus
Purpurei quam cælabant per colla capilli.
O fortunatum, si non deceptus amore
Coniugis hæc illi noscenda arcana dedisset.
Incautum donis aurique cupidine capta
Prodiderat coniux, unde illum luminis cassum,
Omne illum in tenebris agitantem turpiter ævum,
Iuballes tenui pulsantem pectine chordas
Irridant proceres, certantque illudere capto.
Ille quidem nunquam mortem passurus inultam,
Dum aliqua ad manes ferret solatia secum,
Pro gemitu, ⁊ lacrymis, pro dempto luminis usu.
Quid referam ducibus comitatam ad praelia Vatem?

Vt ferus aduerſo fugiſset viſsera bello,
Vtque illum nota hoſpitia & ſua tecta petentem
Fœmina ſuſcepit, fixo per tempora clauo!
Omnia quæ ſolers, rerum haud ignarus & artis,
Jam ſenior Tarchon Tyria de gente profectus
Fecerat, & multo clypeum intertexerat auro,
Tarchon Aſsyrius, quo non præſtantior alter
Pingere uel radio clypeos uel ſculpere ferro.
Jamque etiam Iſaides caſtris emiſit apertis
Inſtructos equites, proximusque a colle uideri
Placidum poterat legio, ſic turbine nigro
Puluerulenta fuga quatiebant agmina campos.
Armipotens primam ante aciem denſum agmen agebat
Inſignis criſtis, & luce coruſcus ahena
Flammantis galeæ Joabus, quem cuncta iuuentus
Juſsa ſequi, atq; illo pugnam conferre magiſtro.
Inde duces alij ſua quiſque ad ſigna feruntur,
Frænatiſque ruunt in equis, tremit ardua tellus
Immani armorum pulſu, lateque refracto
Sole nitent clypei: Rex caſtra tuetur, & inter

Arma ducum uaria in autem formidine uersat,
Euantum belli reputans, tum ne qua feroci
Vi, ~~fun~~ fieret puero ducibus mandabat, at illi
Verba ferunt Zephyri fallacibus irrita uotis.
    Ut contra uanere acies, pariterq migranti
Successum namori, sonitus mugire tubarum,
Et lucus tramere, ⁊ rapidis concursibus acras
Sterni quadrupedas, passim magno impete pugnam
Ingeminant, dansique ruunt in uulnera, densi
Occumbunt, toto certatur corpore regni,
Hinc atque hinc dubijs glomerat Victoria plantis,
Hi regnum amissum, ⁊ pulcræ uirtutis amoram
Propugnant, uitamque uolunt pro Rege pacisci,
Illi autam ereptum contra indignantur honoram
Nunc repeti regno pulsis, hoc uincere certant,
Et immani cursu agglomerant animisq secundis.
Ille uelut patrio tum primum emissus ab antro
Vanatur prædam Leo, iamque assurgit amoram
Pugnandi, ⁊ ualidos uocat ultro in prælia tauros,
Nunc huc, nunc illuc mista se cæde uolutat
Per medios, multosque uirum sine nomine letho

Mittit, ⁊ haud quisquam campis se offerre furenti
Expetit, aut strictos contendere ferro, seu contra
Seu pedes exanimem galea spoliasset ⁊ armis,
Seu sublimis equo conferta per æquora victor
Palantes ageret, ruit ilicet ocyor Euris,
Ocyor ⁊ Partho stridunt quæ spicula cornu.
Parte alia Joabus densatas impiger alas
Instruit, ac duri fessum se martis in armis
Exercet, animisque viros audacibus implet:
Nunc agite o veterum bello spectata iuventus,
Nec nos exiguam laudem virtute mereri
Credite, si regem ⁊ regnum ulciscimur ademptum,
Virtutem rebus demum elucescere duris
Discite, ⁊ hunc duce me, quà se densissimus urget
Mole virum globus ille, manu perfringite, nec dum
Dixerat, ⁊ ferrum eripiens prorupit, at illum
Insequitur peditum turba, lateque per hostes
Limitem agunt ferro, subeunt ⁊ conscia virtus
Et pudor, accensis animo Mars incidit æquus
Cæruleus velut abruptis cum nubibus imber.

Soluitur, inſequitur cumulo prolapſus aquæ mons,
Iam ripæ latitant, atque omnis nauita ponto
Humida uela legit, ruit acto uortice torrens,
Ille trabes ſyluasque rotans ⁊ tecta domorum.
Intereunt ſegetes, ⁊ deplorata colonis
Arua fluunt, penitusque implentur fluminis ualles:
Haud aliam latè campis ſocia agmina ſtragem
Edunt, hoſtilique irrorant ſanguine uepres.
Aduerſam ut iuuenis uidet increbreſcere pugnam,
Iam primos fugere, atque hoſti dare terga ſequaci,
Nullaque fortunam datur exuperare poteſtas,
Proijcit ante pedes galeam, quo tenditis, inquit,
O ſocij, quæ nunc deuicti regna petemus?
Dextra iſthac ferroque uia eſt facienda per hoſtes,
Fidite nec pedibus: Dux hac exclamat, ⁊ inſtat
Nunc prece, nunc lacrÿmis ſegnes reuocare, ſed illi
Deſeruere omnes deterſi, aut corpora letho
Ad terram miſere, nec vltra fidere marti,
Aut audire ducem: quales vbi carcere aperto
Corripiunt campum biiuges, volat ungula pernix,
Effuſæque iubæ, fruſtraque in terga reluctans
Fertur equis auriga, nec audit currus habenas.

Fortè ibi ſublimis deſerto quercus in agro
Arida diffuſis tendebat brachia ramis,
Quâ ſæpe eximij ~~reges~~ deuicta inſignia Reges
Exuuiasque ducum ſuperis Martique ſacrârant,
Arma, ⁊ fulgentes clijpeos, curuasque ſecures,
Spiculaque, ⁊ galeas, loricamue ære rigentem.
Huc ubi ſe ſublimis equo Maganzëus heros
Attulerat, capitisque comas humerisque uolantem
Cæſariem ramo implicitus ſublime pependit,
Seu caſu, ſeu dira Deûm ſic ira ferebat,
Atque illum ſonipes pendentem in ſtipe reliquit.
Nec longum, Scæuus palantes acrius hoſtes
Dum premit, ardentique manu fugientibus inſtat,
Incidit huic, ſtupet ignarus concurrere paſſim
Hinc atque inde uiros, ferit aurea ſidera clamor.
Ut iuuenem agnouit luctantem ſtipite in alto,
Cedite, conclamat, noſtris hic debitus armis:
Quò nunc quò miſeros bello contendere ciues
Adduxti? fratrumque armaſti in prælia dextras?
Nullane te ſancti tenuit reuerentia patris?

Nunc pendens moriere, pater te hoc uulnere natum
Immolat, ac merito poſcit de ſanguine pœnas.
Dixit, perque latus contortam uiribus haſtam,
Perque uterum exegit uibrans, teloque reducto
Vna eademque uia ſanguiſque animuſque ſequuntur.
Purpureus fugit ore color, fugit aurea forma,
Omniaque inuiſæ rapit inclementia mortis.
Hæc finis iuuenem fato, hic tulit exitus illum,
Tantantum imperium, & tumido ſeſe ore ferentem,
Et uictus magno poſuit cum uulnere uitam.
O hominum curæ, & fati contrarius ordo.
Exanimem Ducis imperio de ſtipite demptum
Deponunt tumulo, uiridique in ceſpite condunt,
Deſuper ingentes ſyluas & ſaxa frequentes
Adducunt, ſyluas boreali turbine fractas,
Ornoſque, piceaſque, & olentis robora Cedri,
Terque rogum luſtrant in equis, maneſq́ ſalutant.
    Interea pugnæ cecinit tuba læta receſſum,
Dux ipſe haud paſſus procedere longius iras,
Et ſæuire animis ciuis, ſed cedere Gallo,

Et pacem colere, ⁊ cognatæ parcere genti.
Ergo omnis legio gressus in castra ferebant,
Complexique manus inter se, ⁊ iubila tollunt.
Qualis Mæandri ripas, aut stagna Caÿstri
Cÿgnorum replet iunctis exercitus alis,
Cum fortè e pastu redeunt, cum fortè mirantes
Liquarunt saltus, longo uolat ordine pubes,
Clamoremque ferunt ad littora: non secus illi
Ibant æquati numero, Martique trophæum
Sacrabant reduces, trunco sÿluestris oliuæ,
Omnes innexi galeas ⁊ tempora lauro,
Personat intonsus Libani mons, personat ingens
Iordanus, sÿluæque procul clamore resultant.
Rex autem patrio mentem perculsus amore,
Cui iam non dubius rumorum aduexerat auctor,
Ire iterum in lacrÿmas, iterum tectum omne querelis
Complere, ⁊ sese ob nati damnare furorem,
Non illi clamor populi, aut uictoria cordi,
In nato mens omnis, ⁊ omnis cura moratur:
Nate dolor, nate ô ingens extincte parenti

Et desiderium & solamen flebile vitæ,
O quo te letho videam, quo vulnere victum?
Cur ego non ultrò regnis tibi cedere victus
Malueram? reliquumque agitare inglorius ævum?
Nunc vivo, regnumque habeo, te nate peremptum
Audio, & æterni superest mihi caussa doloris.
Eheu quid volui? quæ mens me ad bella ferebam?
Cur non ipse aciem duxi, aut in prælia veni?
Strinxisset patriæ mentem pietatis imago,
Aut, si fors tulerat belli, tecum ipse perissem,
Nate tuam tecum mortem tua fata tulissem.
Me miserum, fuit imperijs ea gratia nostris
Infelix Ioabe, & nostrum tua dextra cruorem
Haurire, atque istham potuit fraudare juventam?
Hæc tibi jussa dedi varium ad discrimen ituro?
Sic ferrum capere, & nostris sic parcere membris?
Olim etiam tua te scelera, & tua fata manebunt.
Nate dolor patris, ô ingens dolor, ô mea nate
Gaudia, quid repetam primum, vel quid moror ultrà
Ingratam vitam, ingratos producere soles?

Hæc Genitor lacrymans ⁊ plura miserrimus ore
Fundebat, qualis nemorum philomela sub umbra
Cum dulcem pastor diripuit ab arbore nidum,
Implumesque tulit fœtus, ast illa querelas
Integrat, ⁊ longas luget miserabile noctes.
At nato monumentum ingens insigne columnis
Erexit, longo victurum protinus ævo,
Inscripsitque pater lacrymas, versusque notavit
Æterno, patrios signans in marmore luctus,
Et pubem secum ad numeros ediscere jussit.

Absolonis Fugæ
Finis.

Casparis Schützij Isleuiensis
De Diluuio
Liber primus.

Submersum pelago mundum confusaque rerum
Semina, seruatasque cano de funere tristi
Relliquias: tu Mæonio multum inclyta cantu
Musa mihi caussam memora, quæ tanta parentem
Naturæ impulerit, tanto discrimine lethi
Voluere res hominum, quo damnum Rector Olympi
Tutas Oceano iurarit fædere terras.
Jam lucos Phæbum video lustrare beatos,
Et pictas pharatras pictos gestare cothurnos,
Jam rapidum tepida siluas aspergine Gangem

Alluere, ⁊ roseam septeno gurgite Nilum
Tollere cæsariem, latè quem mala coronant
Aurea, odoratæ cedri, palmæque uirentes,
Ludere iam Tigrin uolucres ⁊ flumina circum
Euphratis, tenerique sonare exordia mundi.
At Noas geminæ circundat tempora frontis
Pampinea fingens umbra, uelitque delenti
Flore comas, illinc nascentem suspicit orbem,
Hinc numerat ueteri uenturos stirpe nepotes,
Et terras signat populis, ⁊ monstrat aratrum.
Idaliæ uolucres suaui per inania ludunt
Concentu, ramumque ferunt frondentis oliuæ,
Inde sacræ resonant pinus, uuaque recenti
Pampinus, ⁊ uirides ueniunt ad carmina lauri.

Ocia nascentis speculatus inertia mundi
Dux Erebi, ⁊ stabiles uariantia fœdera motus,
Æternamque fidem rerum, quæ longa uigeret
gna
Humani generis pietas, exarsit in iram,
Conciliumque amans animi deforme poposcit.
Imperijs olli ueniunt, quot olentis Auerni

Monstra specus habitant, quaque alto in limine Ditis
Excubijs præsunt Furiæ, manit atra cruento
Tisiphone succincta sinu, manere sorores
Infestis Stygiam quatientes lampada dextris,
Dira quibus facies, rutilantia lumina flammis,
Et strident circum crinales ora Cerastæ,
Ter monstrosa die fluuijs Acheronte refusis
Ora lauant, ⁊ triste rigant in pectora uirus,
Ter face tartareas sedes ⁊ regna rogali
Lustrantes adeunt, tacitam qua pigra paludem
Styx trahit, ⁊ multum Cocytus turbida stagna
Exonerat, nigramque eructat ad astra fauillam.
Improba Nox Furias, quia primum exordia lucis
Communesque uices tenebris cum Sole dolebat,
Inuidiam cælo ⁊ rerum factura parenti
Vno eodemque tulit partu, Plutoque dicauit,
Postquam magnanimum tenebrosa ad tartara Regem,
Et coniuratos cælum rescindere fratres
Excussit pater omnipotens, regnoque silentum
Damnauit, Gnati raptum indignatus honorem.

Has ſeſe circum dextra læuaque ferebant
Incrementa Stÿgis, ſtudioque ardente ſubibant
Auri ſacra fames, tutique ignara Tÿrannis,
Prodiga luxuries, pronoque Audacia uultu,
Iuuantrix ſcelerum Fraus, ⁊ maleſuada Libido,
Illa quidem ſpecie facilis blanditur honeſta,
Inſidias ſed enim meditans improuida rerum
Irretita tenet fallaci pectora nexu,
Tum Morbi, Lethumque, ⁊ cæcæ Inſania mentis.
Ergo ubi terrificis conferta ſedilia monſtris,
Totaque confuſo coierunt tartara cætu,
Ipſe rudi fultus ſolio nigraque uerendus
Maieſtate ſedet, ſceptrum infernale coruſcans,
Atque his increpitans tandem alta ſilentia rupit:
Ergo ego tranquillo ſic labi ſecula curſu,
Et nullis adeo turbatum caſibus orbem
Aſpiciam ignauus? ſatis eſt odiſſe ſecundis
Elatos homines? nullisque impune mouerі
Inſidijs terras? quo me uada ſqualida regnis
Tantum arcent ſuperis? quo bella infecta ſorores

Proſunt, ⁊ Stygiis epoti fluctibus amnes?
Atqui hominem prima pomi fraudare iuuenta
Nequicquam magni turbans exordia mundi,
Legis ⁊ immotæ pactum uiolare coëgi,
Fædara nec mihi cognata impellere fratrum
Et cædem ſancire nouam: nihil inde relictum
Cum uaga Luciferi tremuerunt ſidera bellum?
Si mihi cœleſti uetitum eſt intendere regno
Imperium, toton' etiamdum arcebimur orbe?
Hoc ſaltam, neque ſpreta moror cōmercia cœli,
Hoc prohibete nefas, iuro ſtagnantis Auerni
Anſanctos latices, ⁊ uaſta ſilentia Lethes,
Aut repetam bello ſuperos, atq; eruta miſcens
Aſtra mari indomito, turbabo in tartara mundum,
Et ſuperum aulis immittam regna cauernis,
In cœlum Styga deducam, tot monſtra ciebo
Quot unquam aurati ſpectarunt lumina Solis,
Nec pudor audendi, quid enim poſt illa timemus?
Aut nos extremum tentate ⁊ ſtabile terris
Exitium furiæ, totaſque expendite uires

In genus humanum, coeant pietasque nefasque,
Rumpatur ius omne manu, cognataque pulſat
Corda furor, uariant diuerſi in prælia fratres,
Iura thori confuſa premant, ſocijsque uenenum
Flagitijs mundum fato comitentur acerbo,
Et tandem Furijs dignos præſtate furores.
Talibus intonuit, dictisque exaſperat iras.
At uero ambiguum uerſat ſententia uulgus,
Confuſæque ruunt diſtracta per agmina uoces,
Qualiter æquoreis cum primum fluctibus Eurus
Sibilat, aut poſtquam refluos iactauerit æſtus
Cum freta paulatim ponunt, ſilet æquore tuto
Ventus, at impulſum ſeruarunt ſtagna tumorem,
Et paſsim ſaxis illiſa remurmurat unda.
Pars reparanda probant cæleſtia bella Tonanti
Aſpirantque animos Regi, pars dura uerentur
Imperia, his aliquid Furias contexere uiſum eſt
Triſte malum terris, & ineuitabile lethum.
Illæ conſuetis cinguntur protinus hydris,
Et tædas ungunt fumo inamabilis Orci,

Sic addunt uires facibus, comitantur euntes
Pestes innumeræ, auspicio quascunque sinistro
Tysiphone legit comites, bellumque, famesque,
Et consanguineo luxu comitata Voluptas,
Hæc uitijs fomenta ferens ⁊ semen iniquum.
Est specus abrupto tendens in tartara hiatu
Antrum immane patens, ubi primum dicitur imis
Lucifer illapsus terris, cum desuper urgens
Rex superum dextra fulmen librabat ab arce.
Fama refert triste illum, cum perfidus Euen
Deceperat insidijs, falso cum tegmine squamas
Depinxit, auramque iuit sublatus in altum,
Septenos orbes sinuosa uolumina uersans.
Cumque adeo immiti pluuissent sulphura cælo,
Inde facem quatiens inferno flumine tinctam
Emouitque lacus Stygeos, terramque cauernis
Excutiens totas in abyssum condidit urbes.
Non illac pennas ulla mouere uolantes,
Prata nec aspersit riguis crepitante lapillo
Fons fecundus aquis, tantum tenebrosa Mephitis

Exhalat nebulam, lethalique omnia fumo
Inficit, at tetrum tellus mala iactat odorem,
Enecat hic volucres, frondentesque arbore fætus.
Ergo ubi tartareæ uauerunt limina portæ,
Et primum Lethææ afflarunt ſydera peſtes,
Horruit, ac diris reboans mugitibus æther
Luctiſonum intonuit, retroque obverſus ad ortum
Phœbus anhelantes deduxit limite currus,
Admirans liquido ſtellas concurrere cœlo.
At procul audiri viſum, gemitusque luporum,
Fœdaque inaſſueto paſſim latrare tumultu
Et variis turbare diem ſimulacra figuris.
Protinus humanos invaſit maxima ſanſus
Atque inopina luas, fugit concordia rebus
Cœlis, & mundum Virtus expulſa reliquit,
In quarum ſubiere locum diſcordia belli
Mater, & aſpectu molli importuna tyrannis,
Hanc armat rabies Erebææ felle colubræ,
Inſidiæque, metusque vagi latus undique claudunt,
Hæc vanis iunctarum diſturbat fœdera rerum,

Hæc euertit opes, ac bello semina præbet,
Hinc odium vulgi infestum, cædesque secutæ,
Et mala seditio populum seruire negantem
Impulit in dominos, creuit scelerata libido,
Creuit opum dauota sitis, luxusque beatas
Hausit opes. Quantum status hic mutatus ab illo
Aurea quo primi viuebant secula patres,
Ocia ducentes latè felicibus aruis.
Tunc neque iactato pulsabant arua ligone,
Sylua nec abductam præbebat flumine pinum
Visendum terras alias & littora ponti.
Nondum sollicitis firmabant oppida muris,
Oppida nec norant homines, non buccina bello
Signa dabat, nullus Mauors, certamina nulla,
Non auidus mentes obsederat ardor habendi,
Et nullum effossa quærebant rupe metallum,
Scrutantes penitus latebras & viscera terræ.
Tantum inter syluas taciti, lucosque beatos,
Aut teneras quercu glandes, aut poma legebant,
Tutaque floriferis agitabant ocia campis,

Campis ⁊ irriguo quos Nilus perluit amne,
Et sacer Euphrates, ⁊ quo non ocyor ullus
Saxa trahens sinuoso vortice Tigris.
Non gravidos illis clauserunt frigora sulcos,
Nec fluvijs glacias terraque astricta pependit,
Semper amœna dies, frugum lætissima messis
Semper, ⁊ æterni spirabant veris honores.
Sæpius umbrosis placido sub sydere lucis
Errabundus Adam varia vaga cornua Lunæ
Dinumerans teneros iussit describere natos,
Stellarumque notas, magnique volumina cœli,
Et cursus Phœbi rapidos: aut valle recurua
Propter aquæ rivum muscoso fonte cadentem
Accepit tenerum serpentem in membra soporem,
Aut dio subter tendens umbracula solus
Inter opaca loci Divinis communia mistus
Duxit, ⁊ ingentis quæsivit fœdera mundi.
Tum pecudum genera observans, prolemque ferarum
Nomina distribuit passim quæ lege soluta
Palabant vacuis animalia libera campis,

Manſuetæ Tigres, ⁊ vis animoſa Leonum,
Vrſorum catuli, ⁊ maculoſi tegminis Lynces,
Aſſuetæ dominum ſaltantes ludere circum,
Atque lupis miſtæ pecudes, capreisque moloſſi,
Gryphes equis, ad aquas placidi comitantibus ibant.
Lucus erat piceis atque ilice tectus opaca,
Pinetisque frequens, per quæ ſpumoſus ab alto
Nilus agens putrem fœcundo gurgite limum
Ibat, vicinos tangens aſpergine ſaltus.
In medio ſpecus exeſo ſub pumice pandens,
Æmula quem curuo natura peregerat arcu,
Fons intus modicum labens, atque obſita muſco
Antra, lauesque hederæ texebant marginis umbram.
Hæc fuit domus ⁊ tectum nemorale parentis,
Æſtiuos quoties ſoles Phæbumque leuabat.
Arbor ibi in mediis inter pomaria ramis
Arcanas ſacro ſeruabat robore vires,
Quam pater omnipotens cæleſti ſtirpe repoſtam
Plantarat, legem adijciens, ne robora quiſquam
Tangerat, aut vetita conuellerat arbore fructum.

At verò infelix fallaci Lucifer aſtu
Diuerſum ſuaſit, ramis cum triſtibus Evæ
Poma tulit, mortem latura nepotibus olim.
Ergo pater ſteriles terræ damnavit ariſtas,
Abſconditque altè ſegetes, hominesque colendo
Addixit ruri, & rebus ſudore parandis,
Molitosque nefas felicibus expulit arvis.
Ignitum ante fores immanem, cui dextera ferro
Fulminat, & rutili reſpirant naribus ignes,
Cuſtodem poſuit vigilem, ne forte repertis
Fructibus, æterno qui dotant munere lucis
Effugeret duri quisquam diſcrimina fati.
Poſtquam frugiferis expulſi ſedibus ibant,
Protinus incepit vitæ inconſtantis imago,
Et triſtes luctus, & iniqua ſorte labores:
Tum primum incultis ſunt condita ſemina glebis
Verſaque depreſſo tellus ſudavit aratro,
Obruta tum primum fœcundæ munera matris
Venere in meſſes cum iam mortalibus ægris
Fælices ſylvæ ortumque domosque negarant.
Tum procul amoti pepererunt frigora ſoles,

Clausaque terra gelu campos atque arua recondit.
Tum tædas, luco exciso, pinusque rigentes
Adolere focis: tunc fraus, tunc ardor habendi
Natus, ⁊ innumeris quæsitæ ex usibus artes.
Immunis ferri multos tunc sylua per annos
Demisit caput, ac crebros dedit icta fragores,
Eductæque trabes, costisque intexta cauernis
Robora nauigijs aptata, longique carina
Audax ignotum quæsiuit nauita portum
Sollicitus uitæ: tunc alta marmora terra
Eruta, ⁊ innumeris aurum memorabile noxis.
Tunc animis opibusq aucti creuere Tyranni
Omnia pendentes libitu, cum facta potestas
Quidlibet audendi, tunc multis flebile bellum
Venit, ⁊ horrendis quassata tremoribus arma
Increpuit Mauors, ⁊ sese immiscuit orbi,
At fera sanguineo uolitat Bellona flagello.
Sic uirtus, sic fas iacuit, rectumque perosi
In scelus ingenium dederunt, tunc nobile factum
Affines uiolare thoros, ⁊ sanguine fratrum
Cognatas fœdare manus, nil linquere inausum
Quicquid erat libitum, totique illudere cælo.

Quæ pater ut summa prospexit Olympius arce,
Ter quater in magno gemitu suspiria ducens
Defleuit mortale genus, tum concitus imo
Corde dolor tristes rediens exuscitat iras.
Nec mora Concilium sacrata in tecta uocauit,
Funestis meditans mundum summittere pœnis.
Panditur extemplo tectum ~~[illegible]~~ stellātis Olympi,
Regia celsa loco, nostroque imperuia menti,
Quam pater æterni supra confinia cæli,
Quàque orbes paribus stellas legibus urgent,
Cum massam informem in binos disponeret axes,
Æternam posuit sedem immotamque locauit,
Cum reliqui ipsis uoluantur motibus orbes.
Hic ubi se sessum Genitor tulit æthere claro,
Et soboles patris, ⁊ sacri pars tertia regni,
Consedere loco proceres, ⁊ cætera pubes
Ordinis cælicolum, subit innumerabile uulgus
Perpetuo astantum solio, qui iussa capessunt,
Et celeres referunt Diuum mandata per auras.
Ut primum genitis edicta silentia tectis,
Assurgunt olli Virtutum nobilis ordo,

Ipse autem tales effudit pectore uoces.

Perdendum est mortale genus (simul oīa secum
Vouit, ⁊ ingenti concussit sydera nutu)
Perdendum est penitus, quicquid felicia spirat
Lumina, qua latum refluis ambagibus orbem
Circuit Oceanus, nec enim uera numina terris
Subijciam, aut sperni toties impune relinquam.
Iam satis in causas numerosa licentia creuit,
Et nocet indulsisse semel, cum caede nefanda
Fraternum biberat tellus inuita cruorem.
Illa innata lues primos imitata parentes
Durat adhuc assueta nefas, contraria semper
Imperijs nostris, semper trahit effera secum
Suasorum recti, ⁊ renuantem talia sensum.
Credo equidem audebunt, nec n. pudor obstitit unquam,
Moliri caelo pugnas, nimium mihi Pluto
Imperitat terris, nimium mihi Tartara laxat.
Poenitet hanc infame genus de numine nostro
Effrenum magno duxisse exordia caelo,
Sed meritas sumam scelerato a sanguine poenas,
Ac pelago simul inuoluens hominesq; ferasq;

Oceanum & fluctus mundi miſcebo ruinæ.
Iuro per æternæ fatum irrevocabile legis,
Non erit hos pietas cur nunc miſerata labores
Supplicium revocet, fixa hæc immotaque ſunto.
Dixerat, aſſenſit triplicis Concordia mentis.
Obſtupuere alij, tacitumque per agmina murmur
Pervolat, ac timido complent ſuffragia nutu
Attoniti dictis, nec enim vel dicere contra
Auſi, vel magnum verbis lenire dolorem,
Sollicito tantum ſuffocata ſilentia vultu
Iacturam humani generis doluiſſe fatentur.
Sic, ubi fatali carpebant robore pomum
Immemores primi pacta ſub lege parentes,
Et ſuperum Rector quateret iam fulmina cælo,
Æthera iam terris miſturus, & aſtra profundo,
Expavere ſimul gemitumque ſub corde prementes
Cælicolæ, & nulli quamvis audacia ferret
Pro mundo cauſam nequicquam orare labanti,
Verſabat tamen inſontem miſeratio caſum.
At Natura gravi iamdudum ſaucia cura,
Multa ſuper mundo ſecum conqueſta, micantem

Conſtitit ante thronum demiſſo lumine ſupplex,
Deformata genas, humeriſque effuſa capillos,
Atque abrupta dabant mæſtas ſuſpiria uoces.
Subijcit illacrymans: Quo te pater optime, quo te
vocat
Ira rapit? mortale genus ſummergere ponto
Decernis, partemque uni? ſi numine læſo
Exitium merui dignum, quid fulmina ceſſant?
Corripe conuexam rutilo cum ſidere molem,
Inuiſamque ſimul Naturam unis adijce pœnæ.
Sin aſſueta Deo te nunc clementia tangit,
Accipe quas timido tibi fundimus ore querelas.
Non ego iam noſtri damno contraria fati
Curſibus immodicis alias expoſcere leges,
Non regimen hominum auſum defendere, pro me
Magne parens damno, natæ miſerere precantis.
Cur ego, cum lætis exultant ſidera ſignis,
Et tibi lætitiam, tibi munera iuſſa miniſtrant
Iuncta fides rerum, ⁊ mundi pulcerrimus ordo,
Parte aliqua triſtis uideam ſuper æquora pontum
Diffundi, ſegeteſque meas atque arua reuelli?
Cur manus Artificis naſti ſub origine mundi

Quatuor enatis poſuit primordia rebus,
Terrasque, tractusque maris, campoſque liquentes
Aëris, ignitumque orbem, Titania regna,
Si pars una perit, ſi terras occupat æquor?
Tentabit cœlum commiſsa licentia Ponti,
Inque Chaos primum natura relapſa fatiſcet,
Si genus humanum de tota excindere terra
Fas agit, et nostræ nequicquam mentis imago
Semina diuinæ portat uiuentia lucis
Progenitum cœlo fruſtra, quum ſidera propter
Nocturnas numerent horas, æstusque diurnos?
Astra quis obliquum ſubter labentia cœlum,
Signa uel Oceano ſurgentia curet Eoo?
Quis terram inuicti ſterilem pulſabit aratro
Extorquens messem Cerealem, frugesque repoſtas?
Cui ſtabunt ſyluæ? latisque errantia campis
Cui dubio peragent ſaltus animalia curſu?
Hæc etiam nullo quæ taxat crimine labes
Humanum ſcelus exoluunt? quid, machina rerum,
Hæc etiam alterius pendat commiſsa furoris?
An hominum facinus tam dira peste uolutat

Compagem æternam, qua totus corruat orbis?
Si tamen hoc refert, credo restare tot inter
Cultores recti, qui cælum ⁊ numina curent,
Et paribus numeres hominum discrimina pænis?
Quæ fuerit iam forma maris, cum pontus ⁊ æther
Transibunt unam in faciem, quando una profundi
Illuuies? passim disiecta cadauera ponto
Inficient auras, syluæ cernentur inanes,
Et loca santa situ, nullisque exculta colonis.
Anne nouum condas mundum, legesque priores,
Ortus ⁊ ille prior fato voluente peribunt?
Quod te per rerum caussas, mundumque ruentem
Oro, per triplicis concordia fœdera regni,
Aspice quæ miseram curæ sine more fatigent,
Atque opus ipse tuum, quod magni est portio cæli,
Respice clamanti, quo respicis omnia, vultu.
Hæc ait, ⁊ lacrymis pudibunda per ora profusis
Ante pedes iacuit gelido collapsa tremore,
Quam pater his contrà solatus vocibus infit:
Pone metum Natura, manent immota per omnem
Fata tibi seriem, ⁊ tantum pensabo laborem.

Nec mihi iam ſolitasque uices, commiſtaque magno
Corpore naſcentum diſſoluere ſemina rerum,
Atque elementa ſuo cauſſas agitantia nexu,
Non ea moliri libet, aut noua condere fata,
Quamuis aggrediar ſceleratas æquore terras
Eluere, aut triſtes cœlo demittere flammas,
Quæ telluris opes, culmique uirentis ariſtas
Eruat, aut ſteriles in iugera digerat agros;
Iſta meæ fuerint curæ, deſiſte moueri.
Eſt mihi delecta Noas de ſtirpe parentum
Vir pius, & conſtans iuſſorum cura meorum,
Vnus qui noſtrum non unquam oblitus honorum
In partes abijt ſcelerum, non improbus illi
Luxus, & inſidijs potuit molita Voluptas
Infandum ſuadere nefas, reuerentia ſemper
Virtutum, & rebus pietas ignota ſecundis.
Hunc mihi iamdudum meditanti e uindice pœna
Eximere eſt animus, qui rerum damna rependat,
Et magnum natis habitandum diuidat orbem.
Quum ueniat tempus quo uaſti machina mundi,
Quæque uides uno generari percita nutu,

Quæque alys uitæ causas motusque ministrant
In nihilum recidant, totumq ignescere cælum
Conspicies, subitasque uices mirabere mundi,
Et tamen æternum manet immutabilis ordo.
Tunc homines pœnam cessabunt labe mereri,
Primaque dediscent patriæ contagia culpæ,
Hæc sibi fatorum series immota reseruat.
Finierat Diuum Ianitor, cætuque soluto
Qua ratione aliquid subducerat ipse ruinæ
Arcano reputans uersabat pectore curas.

Finis Libri primi.

De Diluuio Liber Secundus.

Nox erat exoriens, nigroque indutus amictu
Languida per terras soluebat corpora somnus,
Alta quies hominum passim, requiesque ferarum,
Plurimaque in uacuis audita silentia campis:
Lamecides prima carpebat nocte soporem,
Atque ipsi in somnis manifesta luce refulsit
Primæuus Genitor, gestans ex arbore ramum
Fatalem, frondemque manu, subtristis ⁊ alto
Pectore producens gemitum, thalamoque subibat.
Ille autem aspectu multum perterritus hæsit,
Inde memor, qualem ante uirum, quem frontis honorem
Audisset, qualem patres narrare solerent,
Obtutus reputat, tum uero uisus iniquas
Fundere sollicito Senior de pectore uoces:
Tum potes totam somnis insumere noctem,

Nec quascunque parat curas fortuna quieto,
Lamechide sanguis meus aspicis? eheu quanto
Res retro lapsu redeunt, cum littora pontus
Exsuperat, pontoque vagus miscebitur æther.
Ipse sator mundi scelerum monimenta perosus
Infandas agitat pœnas, iterumque virentem
Accipio mundum, nostro qui crimine primum
Excidit, eia age [redacted] surge, tuis et consule rebus
Namque Deum Genitor tibi me demisit ab alto,
Quem fato excipiat tristi e discrimine raptum,
Omniaque effari iussit: sic fatus in auras
Dilapsus rediit, quo nunc quo deinde referz te
Sancte pater? clamat nequicquam atque ista locutus
Instabat prenso circundare brachia collo,
Prendentesque manus velox effugit imago.
Continuo excussus somno miratur inhærens,
Iussaque sollicito versat sub corde parentis,
Ac varia multum curæ multumque recursant.
Ara vetus stabat nigrantibus abdita sylvis,
Cespite [illegible]a congesta lami, pecudumque cruore

Pinguis, ⁊ auſpicijs patrum ſacrata priorum.
Hic author generis ſub iniqui tempora lapſus
Sacra tuliſse Deo fertur, natique decenter
Ad pia triticeos geſtare altaria fatus,
Florentem Cereris ſyluam, ſpiceasque coronas.
Sæpe illic conſpecta etiam ſimulacra Deorum
Agricolis, noctem obſcuram ducentibus agris.
Huc ibat pecudumque una Veſtamque ferebat,
Farre ſimul libans, ⁊ rebus rite peractis
Extemplo duplices tendens ad ſydera palmas
Sic orſus cœlum ſupplex in uota uocauit:
Omnipotens genitor, ſi quid ſpectata piorum
Vota ualent, ſi non iuſtumque malumque ſub ijsdem
Supplicijs reputas, placidis hæc auribus audi.
Nos tibi quod ſupereſt, atq; hoc quod uiuimus uni
Acceptum ferimus, ſed enim, quis aperta negabit?
Promeruiſſe ſcelus memores tibi iure fatemur.
Qui tamen in culpas nequicquam ruere ſoluti,
Inſontes etiam ſecum in diſcrimina mittunt.
Hæc tua iuſticia eſt? hæc in nos uindicis dextra

Exurges? ſin ſpes hominum tibi perdere fixum,
Et libet antiquos naturæ impellere motus,
Subijce, qua noſtræ damnum reparabile gentis
Arte ſit, & tantos liceat uitare labores.
Vix ea finierat, uiſa eſt ſimul ara moueri,
Altaque ſyluarum trepidare cacumina circum,
Intonuit lævum Genitor, ter luce coruſca
Ipſe ſuum excuſſis quatiens e nubibus ignem.
Ecce autem liquido delabitur ales Olympo,
Qui magni afferat patris celerata per auras
Iuſſa uiro, geminis uinctans talaria plantis
Aurea, quæ ſublimem alis, ſiue æquora ſupra,
Seu terram, rapido pariter cum flamine portant.
Ut coram ſtetit: Humani iuſtiſsime, dixit,
Lamecide generis, quem tot ſuperaſſe periclis,
Et mundi ueteres olim ſarcire ruinas
Fas ſuperis uiſum, quæ nunc tibi iuſſa reporto
Accipe, & hæc memori mea pectore dicta reconde:
Extrue compactam lignis ſyluestribus Arcam,
Intextam ferro, pinguique bitumine tinctam,
Ut certis pateant diuerſa cubicula metis

Tercentum cubitis patulam se tendat in aluum,
Bisque ⁊ ter latam denos, ter surgat in altum,
Ianua clausa latus foribus prospectet aduncis,
Et composita suis aditum premat interuallis,
At latere aduerso cubitum protenta fenestra
Emineat, spacioque æquali distet utrinque.
Sic ubi composito steterit tibi robore moles,
Huc adiges natos, uxorem, ⁊ quicquid ab undis
Ereptum tolles, diuersi animalia sexus,
Quæque feræ syluas habitant, camposque silentes,
Quæque solo repunt, pennasque per æra iactant,
Collige, ⁊ his uictum multo maior ante repone,
Ut sua seruentur reparandæ semina terræ.
Hæc postquam edocuit uenerandi iussa parentis
In nubes abijt paribus libratus ab alis,
Et nitidum aerijs fecit sub nubibus arcum.
At Senior liquidum spectans super æthera uectum
Prosequitur dictis, atque hæc suis insuper addit:
Aliger æthereus, scimus quæ cura Tonantem
Humani subeat generis, nec enim ōia raptim
Exigit ad pœnas, forsan maiora reseruat,
Et miseris olim spes expectanda salutis.

At tu dulce puer, sic semper læta parentis
Jussa feras, lenisque tuos ferat aura volatus,
Dextera des cæptis, sequimur quocunq vocaris,
Admoniti, ⁊ casus duce te superabimus omnes.
Sic ait, ⁊ primum jussis parere verendis
Aggreditur, curisque animo surgentibus instat.
Ipse adhibet natos operi, ⁊ molimina rerum
Exponit, maneant quæ deinde pericula mundum.
Itur in antiquam sylvam ⁊ nemora obsita dumis,
Cæduntur rigidæ nutante cacumine pinus,
Ingentemque una quercus dedit icta fragorem,
Procumbunt piceæ, crebraque evicta bipenni
Sylva trahit latas ferro spoliata ruinas,
Innumeræque trabes costis aptantur acernis.
Tum vastam duplici construit abiete molem,
Qualiter adductis in magno flumine quondam
Arboribus nemorum, latus incurvatur in amplum
Puppis, ⁊ insomnes nautæ contenta fatigant
Brachia remorum pulsu, tum vertice summo
Incedit fluctu, ⁊ late super æquora spectat.
Sic ille egressi molem multa ilice structam

Inſtar montis agunt, metas pater ipſe modumque
Quæ mandata habent, certa deſcribit amuſſi,
Vtque incumbenti denſata cubilia tecto
Hærerent, magniſque latus quos clauderet ipſe
Contextum trabibus poſtes, intuſque feneſtram,
Et paribus circum ſpacijs penetralia condit.
At Natæ fiſſaſque trabes, ornoſque reuulſas
Aduoluunt, ⁊ parua operi manus addita magno.
Haud ſecus exeſa ſi quando in robore quercus
Ilicibusue cauis nidum ſibi parit hirundo,
Et teneris requiem pullis, uectatq trahitq
Materiem domui, parui circum vndique fetus
Aut ramum auxilio aduectant, aut ſtramina lento
Ore legunt, operi inſtantes, at ſedula Progne
Condenſatque domum, firmatq cubilia tectis.
Extemplo Noas rerum monimenta ſacrarum
Condebat lateri inſinuans, ⁊ plurima pingit,
In foribus ſeriem antiquam, vt fabricator Olympi
Finxerit ardentis primum faſtigia mundi,
Materiamque Chaus, vaſtam ſine lumine maſſam
Soluerit in uarias formas, mirabile viſu,
Et lucem intulerit terris, noctemque remouerit.

Vt liquidi expandens ſpacioſa volumina cœli
Iuſſiſſet pelagi late conſiſtere fluctus.
Iamque incluſa ſuis decurrere flumina ripis
Pingit, ⁊ obliquo terras circundare tractu,
Ac diuerſa locis uaſtum properare ſub æquor,
Vt uaga perpetuo labantur cærula curſu,
Et ſua diffuſum cohiberent littora pontum.
Iam facit aerijs nutare cacumina ſyluis,
Floribus inſcribi ⁊ fæcundo gramine campos,
Attolli montes, humiles ſubſidere ualles.
His addit rapidi flagrantia lumina Solis,
Et nunc dimidiæ, nunc plenæ cornua Lunæ,
Quæque uago curſu peragunt errantia cœlum,
Quæque poli ſubito rapiuntur ſydera motu,
Perque leuem uolucres errare licentius auram,
Et piſces natitare fretis, ⁊ repere uermes.
Euocat ⁊ ſyluis paſſim genus omne ferarum,
Quæque homini ſeruire ſolent, ⁊ montibus altis
Quæ procul aſſuetæ ſyluas ſine lege pererrant.
Addit ⁊ ætherei ſignum memorabile belli,
Lucifer ut Superum primus contempſerit ultro

Imperium, ⁊ contra iurata coegerit arma,
Aspiceres per inane vagum volitare micantes
Spirituum turmas, totasque impendere vires
Pro cælo rebusque suis, manus omnibus una ex-
pellere Luciferum regno sociosque maniplos.
Tum facit errantem medijs sub Solis Adamum
Æstibus, ⁊ ruptæ lugentem fœdera legis,
Et sese circum virides intexere frondes.
Parte alia Nati veniunt altaria iuxtà,
Intentantque preces, ⁊ testis frugibus addunt
Primitias omnium, solamen utrique relicti
Omnes, ⁊ sacris velati frondibus omnes.
Tum immite odium, facinusq inamabile fratris,
Cum puerum furijs accensus fuste necasset.
Omnia quæ primum tabulis inscripta notarat
Providus ut seri legerent exinde nepotes.
Postquam operi finem imposuit, totumq revincta
Compage exeruit tectum, cum coniuge natos
Advocat, atque nurus, illa olim certa nepotum
Spes superest, fidas tum sic effatur ad auras:
Iacturam generis nostri ⁊ discrimen amarum

Effugere est animus, faueant modò numina cœptis.
Nam prope subuersum uideor mihi cernere mundum,
Emeritamque malæ gentem succumbere pesti,
Occidere æthereas uolucres, formasque ferarum,
Et quicquid terris uiuentia semina nutrit.
Ante equidem multis quibus quæ præuisa recordor,
Iamdudum uatibus pœnam, quam tristia ferrent
Flagitia incautis animis, nullisque recepta
In rebus pietas, uirtusque expulsa perosis.
Sæpe mihi genitor, nunc oĩa uera recursant,
Prædixit casum ingentem, pœnasque futuras,
Atque fide præstans proauus meus, optimus æui,
Quam meminit uerbis primum execrare tyrannos,
Et scelerum artifices, prius ad sublimia cœli
Quam sese mundo ferret, unde sæpe nepotes
Dicebat latis culturos finibus orbem.
Nunc igitur quæ sit rebus fortuna uidetis,
Et mihi quæ superas mandata edicta per auras,
Quare agite et quæ prima datur uia prona saluti
Experiamur, agunt quo nos pia fata sequamur,
Et Deus exiguo potis est reparare labore

Excidium mundi, potis es hæc ducere saxa
In formas hominum, vivaque animare figura.
Hæc simul edixit, nec enim mora longa dabatur,
Eligit ex omni prudens animalia cætu
Relliquias ponti, quæ silvis tecta repostis
Exquirunt occulta feræ, quæque alta frequentant
Nubila, et excelsæ posuere cubilia terræ,
Omne genus pecudum observans, genus omne volantum.
Interea celerem superum pater advocat Irin,
Præsentemque onerat dictis, ac talia mandat:
Vade age ⁊ Oceano memori mea pectore iussa
Perfer, ubi obiusam plena se septima luce
Aurora extulerit, totas committat habenas
Fluminibus, totumque ruat mare sedibus imis,
Altior insurgat terris, cum turbine misto
Aspiciat pluvios pariter concurrere nimbos.
Dixit, ⁊ arcuato signans curvamine cælum
Nuncia cærulei petiit confinia regis,
Utque alis dimovit aquas, ⁊ tecta profundi
Intravit, latura patris mandata Tonantis,
Ipse intus viridem versans sub fluctibus urnam

Iura dabat fluvijs, glauco velatus amictu,
Brachia nudus adhuc, humerumq exertus utrumq,
Frigidaque irriguis spirabant fontibus antra,
Et late exeso pandebat pumice muscus.
Barba senis assidue cano cum rore liquescit,
Stillantesque comæ, dextramq tridente coruscat,
Quo fremitus ponti, ⁊ ventorum temperat iras.
Innumero circum concurrunt flumina lapsu,
Iuraque suscipiunt, mox vastis cærula labris
Ante locum capiunt alveo, terrasque peragrant,
Et nunc se campis vasto cum gurgite fundunt,
Occultas nunc ambages sub viscere terræ
Lustrant, atque alio referunt sese orbe sub auras,
Donec ad Oceani redierunt claustra sonantis,
Inde alij remeant, cursusque iterare priores,
Æternasque vices, atq humida semina præbent.
Hæc illi imperia, hæc exercet sceptra Tyrannus,
Ni faciat medias quondam rupto obice terras
Erruerent, pontumque una cælumq tenerent,
Urbes, tecta, domos, uno secum impete ferrent.
At pater omnipotens cum primum immobile terræ

Hoc circumfusa pondus glomerarat in aura,
Inclusit certo fremebundum limite pontum,
Rectoremque dedit, legesque ⁊ fœdera regni,
Quem metuant amnes regem, quem monstra profundi.
Ille autem arbitrio fluctus sedatque mouetque,
Et uenti imperijs adsunt, ⁊ iussa capessunt.
Ad quem tum rediens uerbis Taumantias orsa est:
Rex pelagi immense, tumidarum Rector aquarum,
In quem diuerso labuntur flumina tractu,
Cum solitos primum capiet Sol septimus ortus,
Da pelagus uentis, totumq; a sedibus imis
Erue, et immissis contorta ferantur habenis
Flumina, cum cœli pluuiæ, ⁊ inane uidebis
Turbari fremitu, mandat uis magna Tonantis.
Dixit ⁊ in cœlum pennis ablata refugit.
Annuit Oceanus, uastaque in rupe tridentem
Affixit, paribusque fremunt assensibus undæ.
    Lamecides, simul imposita est manus ultima rebus,
Consortem thalami natosq; in tecta coegit,
Multa animo uoluens, lacrymis sic deinde subortis
Ingemuit: alma uale tellus, quam post maris haustus

Reſpiciam forſan, tuque o damnata profundo
Turba mari, ſed nos quis ſcit qua mole procellæ
Exercent, quis uentus agat, quas tendimus oras,
O infelices pariter quos hora dieſque
Vna ferat, dixit, fletumque in uerba reſoluit.
Illacrymant nati, ⁊ caſum miſerantur acerbum
Cognati generis, ſeque inter plurima queſti
Supremam terris linquunt mæſto ore ſalutem.
Non aliter quam qui rapidis dare lintea uentis
Inſtituunt, longeque remotas uiſere terras
(Heu miſeros) dubij uitæ, dubijque ſalutis,
Nauita cum uelum legit, alto in littore plangunt
Cognati ⁊ fratres, ſupremoq; ore ſalutem
Accipiunt flentes, ⁊ ſuprema oſcula carpunt,
Et ſeſe retinent, et non dare lintea vellent,
At rapidus ſpirat iam plena in carbaſa uentus.
    Septima lux aderat, ſubito Natura ruinæ
Signa dedit, namque obducto uaga nubila cælo
Ætheris umbrabant tractus, nox improba Soli
Obuerſata fuit, pugnantque aduerſa frementi
Aſtra polo, non noctem illam ceu ſudata per orbes

Stella init, sed ipsa alios iam voluere cursus.
Sydera in aduersum, piceis tum Luna quadrigis
Obuia miranti densa inter nubila Phæbo
Vsque sub ardentem Martis prorumpitur axem,
Iam non fraterna complens sua cornua luce.
Auditique salo Oceani concurrere venti
Pugnantes, fluctusq imo ciat æquore Nereus,
Turbine commisto immanes crepitare procellæ,
Et campos petere, ⁊ fractas se tollere cælo.
Intremuit tellus venientis conscia cladis,
Excussitque altas labefacta voragine rupes.
Tum sæuæ ultrices, magni simulacra Acherontis
Errarunt Furiæ, dirum mortalibus omen.
Iam cælo sonuit tuba, lætis percitus alis
Insurgit Notus, ⁊ madidis se nubibus infert
Vndam hyememque ferens, ⁊ densa nube tenebras,
Ipse atra tectus faciem caligine, ⁊ ater
Conditus in nebulas, omni iam nubila parte
Cogit, ⁊ imbriferas compellit ad infima guttas.
Iamsese soluunt nubes, grandinaque remittunt
Aluo cæruleam pluuiam, ruit æthere toto
Imber, ⁊ immisto ceciderunt grandine nimbi,

Et ualidi laxis demittitur unda fauces,
At pater Oceanus postquam data signa uidente
Concussit pontum insurgens, fundosque refudit
Omne fretum, et latices immittere flumina iussit
Auxilium pelago instanti, mox uiribus auctis
Flumina lapsa ruunt, et ripis omnibus extant,
Erumpunt imis multa ui fontibus undæ,
Per rupesque uiam quærunt, per uiscera terræ,
Effusi rapidis uoluuntur cursibus amnes,
Perque domos, messesque satas, camposque patentes
Infrenes sine lege ruunt, simul omnia uerrunt,
Impete cæruleo rapiuntur montibus orni,
Nimbosoque gemunt conuulso turbine quercus.
Hic sacer Euphrates, Nilo ut cõterminus ibat,
Felices syluas miseratus uocibus infit:
Nile uides uastis operari fluctibus orbem,
Et regnare fretum tota tellure refusum,
Nec mihi tam telluris honos, mundique ruina,
Quam dolet has syluas uerti, tam gurgite uasto
Deficit, [illegible] rapidis aufertur fluctibus Hortus,
Felicesque ruunt insano uertice syluæ.

Heu ubi dilecti facies laetissima ruris,
Et virides campi, ⁊ pulcro pomaria tractu?
Quo iucundus ager, vireti quo fontis origo?
Atque ego per Syrtes mallem, perque orbe remotos
Massagetas, Colchosque feros, aut ignibus Indos
Exustos me ferre vadis subter mare tectis,
Quam sacros fluctu admisso prosternere campos.
Si tamen haec quondam fuerit iactura dolori
Caelicolum Regi, si non ad frigora Cauri,
Aut gelidum Borean agimur, finesque Gelonum,
Semper ego bona rura libens atque arva rigabo,
Foecundam Cereris tellurem ⁊ fructibus aptam.
Sic fatur lacrymans, fluvioque immitius aggerat
Massas malos, ⁊ presso gurgite sylvas.
Qua tamen usque potest, solitis se claudere ripis
Conatur, ne multum altis insurgere campis,
Et quacunque licet dilecto parcere ruri.
Jamque adeo rapidi commissa licentia ponti
Obruerat terras, ⁊ subruta tecta domosque,
Et turres valido straverunt turbine venti.
Ipsi etiam montes, summumque in monte cacumen

Immerſum tegitur, ſuperat mare, ſummaq montium
Culmina vaneſcunt, latitantque in gurgite rupes.
Humanis primum complentur caſibus undæ,
Et miſera immani ſorbentur corpora fluctu.
Sæpe aliquis dextram prendit labantis amici,
Dumque dolet fatum, fato perit actus eodem,
Pectoribus fratres iuncti, ⁊ cum coniuge coniux
Amplexu in medio pariter merguntur in undis.
Atque aliquis tumidos dum pulſat remige fluctus
Fluctibus excutitur, medioq in gurgite adhærens
Iam non navigio ſed nando brachia laſſat.
Aſt alij, ſi qua eſt arbor quæ maxima ſylvis,
Aſcenſu ſuperant, alij faſtigia Tauri,
Aut Libani, aut Parnaſſi, aut nubiferi Appennini,
Alituum in morem, ⁊ præruptis cautibus hærent,
Sed neque profuerunt arbor q̄ maxima ſylvis,
Nec iuga Parnaſſi, aut Cilicis faſtigia Tauri,
Nec geminus Libanus, nec nubifer Appenninus.
Inſequitur Nereus atque æquor creſcit in altum
Et phocæ informes humana cadavera paſcunt.
Nec minor in reliquis ſtrages animantibus orta eſt,

Illæ, ubi nulla datur pontum exuperare poteſtas,
Necquicquam expertas uim per maria humida nando,
Sorbentur pelago, ⁊ ſummo ſe uertice condunt.
Nat lupus inter oues, nec diram euadere peſtem
Proſunt alato uelocia corpora ceruo,
Fulmineo non ore ſues, non unguibus Urſi
Euicere maris rabiem, nec Caſpia Tigris.
Hinc exaudiri gemitus, ⁊ ſæua Leonum
Murmura necquicquam pereuntum ⁊ dira gementum,
Per noctem obſcuram cæli, tonat arduus æther
Lamentis, mugitu, ⁊ luctiſono ululatu.
Nec uolucri pennas prodeſt iactaſſe per auras,
Quippe ubi continuo librauit brachia motu,
Nunc huc nunc illuc per nubila denſa uolando,
Laſſatas tandem ſummiſit fluctibus alas.
Sed quis diluuij cladem, quis funera fando
Explicet, aut lato proſtrata cadauera ponto?
Cuncta ſimul tumidi deleta eſt gloria mundi,
Et maris imperio regnum ceſſere Tyranni.
At neque ſe tanti diffudit Spiritus aura
Vitales agitans uires, lucemque miniſtram,

Sed uapor immundus ponto ſe exhalat, ⁊ altum
Tartarea uelat nebula, tum triſtis aquai
Exit odor cœlo: concluſis ignibus ac ſi
Forte domus ſuccenſa aditu fumante uaporat,
Fumus ut inſinuat, cum nulla exire poteſtas
Vulcano rimis, tantum uapor intus, ⁊ atra
Denſatur caligo: ſupra ſic fœtidus undas
Halitus, ⁊ tetro ſe uoluit odore Mephitis.
At procul obſcurum terris natitantibus aera
Radit iter, magnoque undarum fluctuat æſtu.
Ceu tempeſtate in media priuata magiſtro
Naufraga undato rapitur cum remige puppis,
Quam dubio referunt fluctu in contraria uenti,
Iam ſubito Boreas depreſſam gurgite ſoluit,
Iam tulit antemnas, uarijs ea turbida fertur
In pelago uicibus, tantumque impulſa uagatur
Ventorum arbitrio: ſic Aer naufraga mole,
Excelſas ſupra turres, urbesque patentes
Huc atque huc incerta uiæ fugit æquore lato.
Atque inclus[illegible] Senior natos prolemque uirentem
Erudit, antiqua narrans ab origine geſta,

Et lapsus primi generis, multumque pavantes
Lenibat dictis animos, ⁊ pectora firmat.
In summa veluti quae condidit ilice nidum
Ales, cum trepido fervunt se turbine circum
Eurus, ⁊ obstantes franget sub montibus ornos,
Ipsa premens intus pavidos ad pectora fœtus
Spe fovet, ⁊ curis solatur turbida mater.

Finis Secundi Libri.

De Diluuio
Liber Tertius.

Postquam res hominum meritamque avertere gentem
Ætherio visum regi, totusque nigranti
Velatus nebula regnat per littora Nereus,
Exemplo magni solvuntur Numinis iræ
Compositoque pater terras atque æquora vultu
Despexit, cæli obtutus de parte serena,
Iam ~~ponti~~ terræ facies eadem, pontique furentis,
Fœdaque commisti volvebant corpora fluctus.
Astitit hic naid lacrymis humantibus olli
Tristior, et vultus pietas imitata precantes,
Atque hæc deinde ait: O qui res hominumque deumque
Æternis regis imperijs, et fulmine terres,
Quo genus humanum non usque solutus ab ira
Proijcias? quonam usque latet clementia terris?

Aspicis ut meritas luerit gens impia pænas,
Totus & effuso uoluatur in æquore mundus;
Bis denos totidemque dies iam nubila cælo
Discursant, pluuiasque salo inamabilis æther
Ingeminat, nunquamne piam pater optime mentem
Humanæ placant exacta piacula culpæ?
Iamne preces posthac nullæ, te nulla iuuabunt
Vota hominum? nemoque aris imponet honorem?
Atque etiam mundum mira ratione ruentem
Te seruaturum sperauimus: ecce natantes
Relliquias pelagi, quæ nunc æque mole laborant,
Quos furor Oceani penitus penitusque fatigat
Vis Austri, & dubio desperant gurgite uecti,
Aspice summe pater, finemq; impone labori.
Dixerat, atque olli superum Rex deinde profatur:
Hactenus humanæ fuerint discrimina cladis,
Terraque sufficiat rapido semel hausta profundo,
Nec mihi mens posthac fluctus committere ponto
In loca terrarum rursus, & telluris iniquæ
Vnius ob noxam rerum traducere cursus.
Quippe ea naturæ non unquam semina cessant

Nata malum facere et nostris obsistere iussis,
Nullaque mortales præstant dispendia culpas.
Hos ego, qui tantis superant maria oīa circum
Casibus exhausti, mundi incrementa futuri
Restituam terris, aliud genus inde parentum
Dissimile, atque alia nascatur origine mundus.
Quid tamen hoc refert? si gens haud æquius ullum
Natura imprimum scelus in scelus addere pergat
Nequitijs fœcunda suis, modò dira poposci
Supplicia Oceanum, qui nunc tot inania lucis
Corpora brutorumq; hominumq; in gurgite uoluit,
Mox illi immanem incipiant mihi ducere turrim
Cuius ad æthereas penetrarent culmina nubes,
Moliti uetito transcendere limite cœlum.
Ast ego ne cœptum expediant ingentibus ausis
Turbabo numeris socias commercia linguæ,
Mille ora effingam, ⁊ formas mille loquendi.
Atque alij ad Gangem, ambustosq; ignibus Indos
Seque terramque trahant, ⁊ quà circumfluus orbis
Hinc atque hinc rapido medium secludit æquor.
Nec satis hoc, iterum sceleri miserabile uulgus

Inſtabunt, iterum cœlum in ſua fata mouebunt.
Securi pelago, toties mea fulmina ceſſant,
Atque hominis tantum patior procedere cœptis.
Quos ego. Sed præſtat paulum indulgere furori,
Et quondam in melius tantum proferre laborem.
Hæc effatus erat Genitor, pariterq; fluenti
Imperat Oceano, campis deducere pontum,
[ſolitis Includique iterumſuaga flumina ripis.
Extemplo emittit Borean, et ab æthere nubes
Diſijcit, uolat ille fremens per inane, ſolumque,
Et circum multo ſtridunt aquilone procellæ.
Ille ſerenato depellit nubila cœlo,
Et ſolem mundo oſtendit, ſua ſydera terris.
Ille etiam inſano contorquet uortice ſyluas,
Pinusque, fractasque uno rapit impete quercus,
Aut quondam pelago in magno cum uertere fluctum
Cœperit, ah miſeros nautas in gurgite preſſos
Perdomuit, ſimul inuoluens nauemque uiroſque,
Et rapit antennas, ⁊ remos diſjicit undis.
Jamque ⁊ aquæ minuunt, ⁊ juſſi ad littora fluctus
Imperio redeunt, preſſis uaga flumina frenis
Conuertere uias retro, ripiſque feruntur,

Auertit Nereus, montesque exire uidentur,
Et magis atque magis tellurem efferre sub auras.
Iamque etiam fluctu et uentis exercita puppis
Æquore subducto in sicca consedit arena.
Explicat in colles spaciosum culmine montem
Armenia, ipsa ingens, deserta, atque obuia uentis,
Quâ Colchon natosque mari prospectat Iberos,
Parte alia Baccho ⁊ gratis fœcunda racemis,
Hic autem rupes densas, atque inuia saxa
Attollit minitans, æquataque nubibus antra.
Hic subtristis hyems, magnoque horrore frementes
Cauri, ⁊ præcipites posuere cubilia nimbi,
Tantaque se ostentant elata cacumina cœlo
Vt nulli montem superare impune potestas
Tuta uiatori, quum Chelcica regna potentes
Oppressi niue montana, penitusque subacti
Ventorum occursu uitam sub grandine linquant,
Et gens illa quidem non uni assueta labori.
Nam usque cum gelidus soluit se montibus humor
Et Zephyri uerno fœcundant rura liquore,
Æthereo feruore niues ⁊ frigora mutant,

Nec multo cum ſole exuſſit Sirius arua.
Aſt ima radice perennis labitur amnis,
Et pedibus primum ſuperanda regurgitat unda,
Inde ſub occulto terrarum uiſcere lapſus
Abſcondit uanas fundo, Stygiaſque cauernas
Cæruleus uiſit fluuius, Plutonia regna,
Atque iterum ſe rauca ſonans campo arduus infert
Præcipiti curſu, & rapidis contortus habenis
In morem iaculi, uentorumque ocyor alis,
Hinc celerem Medi dixerunt nomine Tigrin.
Ille per ingentem Mæotida labitur, & ſe
Ambiguis commiſcet aquis, diſcrimine certo,
Cum cunctis oculis liceat ſignare paludem.

Hic, ubi ſe cælo referens delapſa ſiniſtro
Tempeſtas abijt, tandemque coercuit iras
Oceanus pelagi, ſtetit alto in littore ſupſtes,
Et fluctum tandem & uento compoſta quieuit.
Lametidas tectum amouit, tum ſingula luſtrans
Spectabat, ſiccumque e rupibus ibat in æquor.
Hinc natis coram diuinum edicit honorem,
Hortaturque preces & uotis expoſcere pacem,

Velavitque comas, Vestamque accendit in aris.
Ipse autem duplices tandem ad sydera palmas
Incipit: O rerum genitor cui turbida coeli
Numina, et Oceani rabies, et sidera parent,
Si terras olim ponto misere natantes,
Aut vastum libuit certe demittere fluctum,
Iam satis in poenam fuerit, tandemque iacentis
Summe Deum miserere domus, tandemque vocatus
Adsis, submersi reparans primordia mundi,
Vince iram, viresque tuas, da cernere terram
Immunem pelagi, liceat deponere curas
Has saltem, et nullos undarum haurire labores.
Si poenam posthac homines clademque merentur,
Est ignis tibi, et est fulmen, cur triste periclum
Incubat Oceani immanis quo perdere possis
Supplicio sontes: etiamnum flumina terrent,
Et subit ante oculos perpessae cladis imago,
Ante oculos homines defuncta cadavera luce,
Et foede terrent pecudes, genus omne animantum,
Nusquam certa fides, nusquam mihi tuta videtur

Littora, tu nostris tandem satiabere curis,
Et terras habitare sinas, nos obuia fatis
Turba sumus, natique tuo consistere nutu,
Da deinde auxilium pater, atq hæc omina firma.
Dixit, & a læua rutilo demissa fragore
Fulgura desiliunt, ter summo nixus Olÿmpo
Intonuit Deus, & uocem inter nubila rupit.
Lamecide Diuum genus has, ait, auribus æquis
Accipio acceptoque ~~[illegible]~~ preces, sed enim aspera lethi
Si monet facies hominum, quos gurgite ceruis
Æquoreo uolui, pœnam meruisse memento.
Testor ego hanc dextram, rerum primordia testor,
Hanc horum impietas pestem, hanc furor efferus orbi
Condidit illuuiem, pœnis ego tardior ultro
Et satis incassum mea me cohibere iubebat
Supplicium pietas, traxit uiolentia rerum,
Et proprijs homini uitijs pugnare negatum.
Ast ego non ultra fluctu confundere terras
Omnigenas meditor, non illa licentia ponti
Amplius, aut solidis rumpat diuortia campis

Oceanus, tu creses gaudens latere quod olim
Et terris late et late dominabitur undis,
Ac nostros memori serua sub pectore iussus.
Hoc iterum uero repetens iterumque monebo,
Cædis habete manus uacuas, ego sanguinis ultor
Maximus humani, pœnas a sanguine poscam,
Hæc tibi relligio, maneant hac lege nepotes.
Crescite, uester ego iubeo Deus, ultima terræ
Littora uos maneant, qua clarum undiq mundum
Ignipotens tepido Sol circumuoluitur astro.
Dum stabit cælum, uasti dum machina mundi,
Æstas semper erit uicibus, mala frigora semper,
Nec cessabit ager curuo renouatus aratro
Condita multiplici tibi semina reddere fructu,
Et nos progeniem mortalem habitare sinemus
Quas dedimus terras: quicquid sub lumine Solis,
Aut ponto aut terra uitales uescitur auras,
Proueniat numeris, latumque excrescat in orbem.
Quoque minus dubites, dictorum signa meorū
Accipe, curuatum si quando in nubibus arcum
Aspicias Sole aduerso se ducere uaris

Distinctum maculis, erit hic certissimus auctor
Haud unquam Oceani rabiem, mea numina testor,
Venturam excidio terris: age concipe fœdus,
Et natis quondam pactum memorare memento,
Et natis natorum, ⁊ qui nascentur ab illis.
Dixit, ⁊ adversa radiantis imagine Phœbi
Arcus multiplicem fulsit variatus in orbem,
Exemplum fidei, ⁊ pacti memorabile signum.
Tum pater Iapeti supplex sic ore profatur:
Iri salus hominum, decus inviolabile mundi
Salve perpetuum, feliciter auspice terras
Respice, cum nitidum variata coloribus arcum
Concipies Phœbi pluviali a nube nitorem,
Felix auspicium salve: te, cum quis in alto
Navita iactatus circumspicit æthera, si quam
Arcturum videat, fidumque ad plaustra Booten,
Nimborum in medio, ⁊ sinuatas turbine nubes,
Accipimus sydus faustum. Sic deinde locutus
Ad natos conversus ait: Cognoscite signum,
Et triplici quæ forma nitet distincta colore.
Cæruleus mersi pinget discrimina mundi,
Cæruleus Oceano color est: quæ se ignea multu

Pars infert mediam, forſan cum ſecula mundum
Concludant, finisq olim rerumq dierumque
Aduenit, liquida in flammas ſe ſydera ſoluunt,
Et totum Aſtræis exurent ignibus orbem:
At uiridis color æterni myſteria ſacli
Explicat, ⁊ quæ ſit inter fortuna perennis
Iudicijs, ea forma noui pulcerrima ueris,
Omnia cum florent, cum iucundiſſimus annus,
Et Zephyri placidis permulcent flatibus agros,
Et cuncta incipiunt felici a ſtirpe renaſci.
Sic natos Senior [illegible] docuit, dubiosq monebat
Euentus, tantosque iubet meminiſſe labores,
Illuuiem mundi, ſtantemq in fluctibus Arcam.
Atque etiam in ſummo reſidua cacumine montis
Quà primum puppis ſteterat fragmenta reliquit,
Et laceras crates, curuaturasque ſolutas.

Nunc tibi quæ generis fuerit deducta propago
Lamecidæ triplici natorum ſtirpe profecta,
Cum mundi ſortita plagas, orbemq receptum
Diuiſit terris, ⁊ quas habitauerit urbes,

Qui tepidos Austri fines, Boreamque secuti,
Ferventesque æstu campos, solemque cadentem,
Expediam dictis, ⁊ mundi regna docebo.
Principio genus Iapeti, tua maxima proles
Vitisator, procul Arctoum delata per orbem
Insedit passim terras, quas latior ambit
Ursa poli socia, ⁊ septem complexa triones,
Qua lapsu immodico Riphæis montibus actus
Provolvit immani Tanais se frigidus alveo.
Hic tibi Massagetæ, Scythiæque rigentis alumni,
Acre uirum genus, ⁊ saxosis uallibus ortum,
Sauromatæque truces, ⁊ quos uicinior arcto
Terra premit Gothica penitus de stirpe profectos,
Immites Russi, ⁊ genus implacabile Moschi,
Hinc se melliferis pandit Lituania sylvis,
Et Prussi mare uicinum piscosaque stagna
Asservant, Cererisque secant iugera Poloni,
Hinc gentes quascunque uado celer alluit Ister,
Donec in Euxinum late diffunditur æquor,
Hinc ⁊ Cimmerij fortes, ⁊ Saxones orti,
Ditia quique procul Rheni petiere fluenta,

Rhenus & in Bacchum fœcundus & utilis agro,
Teutones hinc genus armipotens, agilesq; Sicambri,
Et quoscunque ferax populos Germania claudit.
Hinc Thraces bello assueti, facilesque laborum,
Qui Rodopen circum & uiridantem collibus Æmum
Immite cœlo rura infœlicia uertunt
Aut arcu insequens tibi ripas Hebre fatigant:
Quicunque Æoliæ posuere in finibus urbes,
Littoraque Ægeo norunt confinia ponto,
Qui Dodonææ iactant oracula quercus,
Quos hinc atque illinc diuersos respicit Isthmus.
Hinc Itali Ianumq; ducem Ianumq; parentem
Commemorant, & qui post diruta mœnia Troiæ
Huc fatis tenuere uiam, quibus inclytus armis
Antenor, Phrygiis cum Graijs bella paciscens,
Illyricos superare sinus fontemq; Timaui
Suasit, & Euganeis urbem instaurauit in agris,
Hic & relliquias Danaum Troiæq; manentem
Deposuit, uiridi quos unus quoq; Mincius amb-
Flumine, & Ilideos cœpit Verona colonos.
Italiam geminis mare circumplectitur ulnis,

Et claudunt aditum uicinæ rupibus Alpes.
Hinc oriuntur etiam Galli, Germana propago,
Et Pyrenæos quisquis tenet accola lucos,
Celtiberique suo quos nomine donat Iberus,
Ipse ingens ingenti intrat cum gurgite pontum,
Omnes Europæ tractus, ⁊ littora lata,
Herculeas super usque Gades, ubi uespere sero
Phœbus in Oceani fessos lauat æquore currus.
Quin Asiæ campos etiam glebasque minoris
Iapetus tenuit, qua se per iniqua locorum
Ad Boream extendit Taurus gelidosque triones,
Quos sata Mileti, quos diues Ionia nutrit,
Cappadocumque urbes, ⁊ ripæ Thermodoontis,
Et Cilices, ⁊ qui Cypro posuere penates,
Ignotas tentare uias in fluctibus ausi,
Et Phryges ⁊ Galatæ, Smyrnæque potentis alumni,
Hic Tmoli niuata uirent, hic plurimus aurum
Pallentes inter uoluit Pactolus arenas,
Et mali quos arctæ littus disterminat Helles,
Et patulo Euxinum pandens ruit ore Propontis.
Omne Iapeto, Iapetique nepotibus orti.

Semus ad Euphraten, Aſſraque extrema receſsit
Littora, ab Aſsyrijs ubi fertilis ubere campis
Tractus agit Solem Eoum, & ſurgentia uerſus
Sydera, qua terræ lauat ultima littora Nereus.
Hinc tibi Perſarum proceres, qui mœnia Suſæ
Excelſis habuere thoris, gens nobilis auro,
Eoiſque opibus gemmarum, & diuite gaza,
Cuique urbem Nini coluerunt nomine dictam,
Pinguia felicis qui uertunt rura Damaſci
Uberiore ſolo, quo — non precioſius ullum
Aut tantum facere, aut toties producere meſſem.
Hinc Chaldæorum ſoboles, qui myſtica ſacra
Æternos primum docuere penatibus ignes
Seruari, clauſæque aras incendere Veſtæ.
Hinc Ebræa uenit gens, cuius origine clarent
Fatidici patres, quibus alti Rector Olympi
Ipſe ſuas dixit leges, ſua fœdera ſanxit.
Inde etiam Medi molles, qui littora ſeruant
Caſpia, quoſque ferax ſyluis Hircania claudit,
Et quos Armeniam perhibent horrere colonos.

Inde laues Bactri, Parthique animosa iuuentus,
Et quotquot populi late Gangem inter ⁊ Indum
Fluuiorum Reges habitant, maris instar uterque
Funditur, Oceano uires amnesque ministrans.
Quid tibi nunc Indos referam, tot regna, tot urbes,
Frugibus, ⁊ syluis, ⁊ odoribus arua tumentes
Inclyta? non hyemes illis aut frigora nota,
Sed uer perpetuum, ⁊ semper Sol aureus instat
Verticibus, latisque ~~[illegible]~~ colunt magalia campis,
Omnes a Semo generis primordia nacti.
At Chamus ⁊ medium Solem ⁊ confinia magnæ
Elegit Syriæ, qua sese floridus altum
Attollit Libanus pretiosi culmine ligni,
Infelix Chamus, irati maledictio patris.
Illum etiam Æthyopes calido sub sydere Cancri
Agnouere patrem, ⁊ qui diuitis ostia Nili
Euertunt rastro, ⁊ Lybiæ sitientis arenas,
Qua fera torrenti comprenditur Affrica zona,
Et Mauri infrenes equitant, Nomadesque uagantes,
Getuli rapidi, ⁊ nudi Garamantes oberrant.

Illum Arabes etiam generis molleſque Sabæi
Auctorem celebrant, Arabes gens apta rapinis.
Ille Palæſtini felicia iugera ruris
Diuiſit natis habitare, ⁊ figere caſtra,
Hinc ⁊ Sidonij ciues, ⁊ mœnia Tyri,
Et magnis olim Babylonia clara tropheis.
Illam Nimrotus uindex acerrimus armis
Obtinuit, dirumque nefas molitus ad aſtra
Extulit immanem, nec Dijs nec uiribus æquis,
Nequicquam aſpirans nubes ⁊ ſidera, turrim,
Et pene interitum rurſus, mundoque ruinam
Conflaſſet, pater ipſe Deum molimina ſpectans,
Multum indignatus reputabat fulmina cœlo
Deÿcere, ⁊ ſimul tantis opponere curis,
Poſt dedit imperium uentis, illi ardua denſim
Per tabulata fremunt, ⁊ circum prælia miſcent,
Fit ſonitus uento inſtanti, conuellitur altis
Sedibus, ⁊ uaſtam traxit collapſa ruinam.
Ipſe autem ambiguo ſignans diſcrimine linguas
Confudit rerum genitor, quas nunc quoq; paſſim

Per populos terrasque meant: sic postera seclis
Post mala naufragia, atq inimica fata, recentem
Composuit late mundum: nec enim illa prioris
Permansit facies orbis, multumque profundi
Illuvies, multum potuit mutare vetustas.
Nam qui nunc altis Lunæ de montibus ingens
Labitur, ⁊ late septeno gurgite Nilus
Excipitur, quique Auroræ de fontibus ortus
Innumeros Ganges circum se colligit amnes,
Et quæ nunc alio prorsus se flumina tractu
Disjungunt procul ignota regione locorum
Tigris ⁊ Euphrates, ab eodem fonte remissi
Tractibus exibant diversis quatuor amnes,
Alter ut auroram, positosque sub ignibus Indos,
Alter ut occiduum tepido sub vespere pontum,
Hic gelidum Borean ventorum haud inscia rura
Viseret; ille, ubi se medium Sol vertit in orbem.
Sed postquam pater omnipotens fluvijsq Fretoq
Instabat, veteri revocavit origine fontes.
Nunc alia est mundi longe vergentis imago,

Quæque olim fœcunda fuit cum munere læto
Terra altrix hominum, fructus ea ſponte ſequentes,
Et facilem uictum fundens, nunc denique nobis
Vix adeo uix ingenti ſuperata ligone,
Et lolium & ſteriles ſulcis partitur auenas.
Nunc etiam inſuaues demanant fontibus undæ,
Triſtibus abſumptæ uenis, ac tabe nefanda:
Vix etiam effoſſis miſeri ſub rupe coloni
Ad potum puteis, ducto per uiſcera terræ
Solantur de fonte ſitim, quondam utilis undæ
Riuus odoratos ſuccos in pocla miniſtrans
Ducebat dulci permiſtum melle ſaporem,
Ipſe uinis etiam utilior Bacchoq; Falerno.
Verum & mutati nunc aëris altera forma eſt,
Ille uenenoſo corrumpit ſemina flatu,
Corporibus tabem immittens, aut febribus atris
Affligit dulces animas hominumq; boumq;,
Aut fœdum obſcuris ſub nubibus aggregat imbrem,
Et ſternit ſata læta ruens ac ruris honores,
Et nunc tecta ſimul, turres, ſyluasq; uacantes

Abripit, ac prono ſecum tulit alueus amni.
Hinc rapidi medio glomerant ſeſe äere venti
Et tenerum inſpirant campum, fragor exit, ⁊ altis
Montibus auditur fremitus, ſyluiſq remugit.
Protinus euertunt ſubitis concurſibus æquor,
Inducuntque undas, miſeroſq in gurgite nautas,
Aut ſegetam rapiunt penitus, multumq ſub imo
Æquore Tartarei pulſant penetralia Regis.
Antè ſerenato Zephyri ſe murmure campis
Fundebant, floreſque nouos ⁊ ruris amores
Mulcebant, tunc Ver lætum, tunc optima mundi
Forma noui, mites pendebant fontibus uuæ,
Et rigida quercus ſudabant roſcida mella.
Ipſa etiam cæli facies mutatur, ⁊ almis
Syderibus mos alter ineſt, non curſibus ijſdem
Vt quondam æſtatum Conuertit ſe mobilis ordo.
Demum, ſi qua fides illis qui ſydera norunt

Industres, cæliq plagas, Solisque meatus,
Tempus erit quo se in primam redeuntia formam
Omnia component numeris, cælumq profundum,
Et qui nascentur dicentur semina rerum.
Multum adeo effœtis seclis properata vetustas
Mutare evaluit, multumq immite profundi
Diluvium, & quæ nunc viridi in convalle trahuntur
Felices campi, quondam iuga summa fuere.
Nunc & translati montes, exesaq ripis
Flumina, & obscuris tellus est aucta cavernis,
Qua ventos halant nebulæ, ventiq per imas
Discurrunt sonitu ingenti, veluti omnia fundo
Rapturi exitio, atque intus nullo ordine regnant.
Nec mirum pelago tantum licuisse furenti,
Quippe etiam obicibus ruptis impune videmus
Per sata, per virides immisso gurgite ripas

Flumina deuolui, collectumque agmen aquarum
Aut Syluas agere, aut segetam traducere campo,
Jam mutare uiam, atque alia se condere ripa.
Hæc adeo æternis primum lex addita fatis,
Cum pater humano generi durosque labores
Ærumnasque dedit, cursu nil stare perenni,
Omnia mutari, atque in deteriora referri.
Sic Quippe urbes etiam rerum uariabilis ordo
Mutat, ⁊ interdum bello subuertet, ⁊ igni.
Testis Troia uirûm uictricibus eruta flammis,
Phœnicumque urbes olim, Babylonia muro
Firmior, ⁊ claris celebratæ a rebus Athenæ,
Rudera nunc tantum atque ingentia nōia restant.
Quæque olim terras oēs, maria omnia mundi
Imperio, ⁊ late populos ditione premebant,
Nunc male seruitium tolerant, fuit inclyta bello

Roma caput rerum, ſeptem circumdata montes,
Diuas opum, diueſque uirum, latuere tenebris
Quondam aliæ, magno quæ nunc ſe uertice tollunt.
Regna cadunt, alia exurgunt, terræq mariſque
Se uariant habitus, pater ⁊ Neptunus iniquas
Exercet ſine more uices, nunc littora pandit
Deducitque alio, ſiccaſque relinquit arenas,
Nunc cumulo aſſurgens anguſto interluit æſtu,
Et ſeſe inſinuat terris, nunc inſula ſurgit,
Et medijs libratur aquis circumflua ponto.
Aſpice fumantes Aſphaltidos unde paludes
Tartareas uoluant nebulas, ſpumeq bitumen,
Vtque uadis hærent nautæ, furit ater in auras
Halitus, ⁊ piceis horreſcunt ſtagna lacunis,
Illa olim Baccho felix atque ubere gleba
Terra fuit, ueteris Sodomes mutata ruinis,
Cum penitus ruptas traherent incendia ſyluas,
Arerent terræ fauces, uis aſpera flammæ
Dicitur exhauſiſſe ſolum, penituſq nigrantes

Ignaua pice Vulcanum liquisse paludes.
Nec dubium, quin deinde etiam uoluentibus annis,
Multa nouare queat lapsu uariabilis ætas,
Littoraque excutiat terris, ⁊ flumina ripis,
Instauretque alias, alias trahat ignibus Vrbes.
Scilicet is rebus labor additus, omnia retrò
Vergere, ⁊ in peius descendere maxima fatis.
Aduersa ueluti lembus propellitur unda
Tigridis aut Indi, siquando concitus amnis
Flumine præcipiti rapuit cum remige nantem.

Librorum de Diluuio Finis.

Caſparis Schutzij Isleuienſis

Extremi Judicij meditatio.

Hinc tibi, ni ueterum curas cognoſcere Vatum
Pæniteat, ſeriem ſupremam euoluere mundi
Experiar, quæ quondam atris defoſſa ſepulcris
Corpora cæleſtes ibunt redimita ſub auras,
Quisque ſtatus rerum, cum tot per ſecula mundus
Dilatam orabit magno ſub iudice cauſſam.
Tu modò, tu quem mox quæ ſine latura tremendo
Tempora iudicio penitus latet, inclyte Judex,
Humanos ſeu te meditantem pectore caſus

Arx ignita tenet, ſeu foris extrema ruentis
Mundi fata paras, ignotos dirige curſus,
Et facili titubata refer ueſtigia cliuo,
Magna paro, magnis animus vix ſufficit auſis.
Vt rapidum Eoo colliſum cardine fulgur
Vſque ſub occiduum rutilo ~~fulgore~~ ſplendore coruſcat,
Et nunc a ſumma, nunc ima parte recurrens
Vndique ſe tulit ⁊ ſpectantia lumina fallit:
+ Sic aduentus erit præfixa Judicis hora,
Qui imos legi ~~[illegible]~~ tectosque ſepulcris + properat
ſpatula Subijcere, ⁊ ~~punda~~ uitas cognoſcere lance,
Sic improuiſus ueniet, cum fulgur ab alto
Excidit, ac celeri libauit lumine terras.
Illum uel roſeis oriens Aurora quadrigis,
Aut medias dimenſa uias, vel ſole fugato
Cum iam ſera rubens accendit lumina Veſper,
Inuehet, aut ſummo uoluens nox humida cælo,
Regibus ut mos eſt diademate tempora cinctum,
Haud illis facilem quorum præcordia vana
Conſcius horror aget, ~~crinitalibus~~ fulgentibus undique ſeptum

Agminibus ~~angelici~~ cœli, ⁊ trepido clangore tubarum.
Hic equidem Christum qui fastidire priorem
Ausi, ⁊ seruiles habitus, puerique figuram
Indutum, formamque hõis, cum ut seruus asello
Flagra tulit patiens, vastoque in stipite nexus
Deseruit uitam miseranda morte peremptus,
Iam Dominum cernent ⁊ maiestate uerendum
Et totum patrio torquentem numine mundum.
Ille latus fixum monstrabit, ⁊ acta per imos
Signa pedes, residens in mille coloribus arcu
Magnanimus Iudex, iam non puer, improbus illum
Iam non despiciet conspectu exterritus uno.
O nimium felix famulus, mandata fideli
Qui peragit cura, dominusque inuenerit illum
Imperijs functum rediens, quæ præmia tali
Reddiderit seruo! certe super æthera tollet,
Imperioque dabit quicquid tulit ultimus orbis,
Astra suis pedibus subiecta uidebit Olympi,
Nubesque, tractusque poli, uentosq́ frementes,
Solis ab occasu Solis regnabit ad ortum

At te infelicem qui duras obstruis aures,
Nec quæ rite abiens dederat tibi iussa facessis,
Forsitan et dicis, non est rediturus in orbem,
Et bona dilapidas, vacuaque insomnis in aula
Das operam ventri, et pro rebus pocula tractas
Imperium intendens alijs, per fasq nefasq
Cuncta gerens libitu, nec te mandata verenda,
Nec vigili tangunt commissa negocia cura.
Ille ubi iusserit mundum renovabit Olijmpum,
Multum indignatus vinctum per colla catenis
Injiciet rapidis torrendum faucibus Orci,
Infectumque pecus de sano excludet ovili,
Qualis eris, talem referes a iudice causam.
At si quem non ulla virum vigilantia fugit,
Aut quidam haud dubijs poterit prænoscere signis
Quam recidiva ruat nutantis machina mundi.
Scilicet hæc primum extemplo lex addita fatis
Cum manus omnipotens vastum per inane coegit
Quatuor enatis fingens exordia rerum,
Jussit et extrema ferri regione per auras

Virtutem ignitam, levis ut succederet æther,
Iuxtà cæruleos suspendit in äere terram
Mole sua immotam, & librato pondere stantem,
Terram cognatis mediam secrevit ab undis,
Ut sua diffusum cohiberent littora pontum.
Hæc stabiles mores æternaque fœdera servant,
Æternaque vices & rerum contracta feruntur,
Hinc volucres, hominumq́ genus, genus ōe animantum,
Alteraque alterius causas natura ministrat.
Hinc dubium cæli morem, Titaniaq́ astra
Servamus, messisque diem, tempusque serendi,
Quo signo caderent austri, quid plurimus imber
Præmonuit cælo agricolas, hinc sæpe videmus
Aut terris pestem, aut bellorum instare tumultus.
Non etiam Arctoo deprensi in gurgite nautæ
Nescivere hyemem, Phœbus cum luce maligna
Obscurum cælo in medio comprenderit orbem,
Et sensim allapsi veniunt ad littora fluctus.
Hinc etiam extremæ capiuntur signa diei,
Cum cæli terræque vices mundique tenorem
Cernimus insolitos olim convertere motus,

Cum Sol auricomus, gelidæ cum nuncia noctis
Stellarum regina movet, cum lucidus ordo
Astrorum malè præsagit mortalibus ægris,
Et iam iam terris Neptunus cærula miscet.
Quin alijs etiam divina oracula signis
Observare dies iussere, et discere finem.
Hæc ego te rerum memorem spectare iubebo,
Atque adeò, si certus amor, per singula ducam,
Nec dubitem primum humanos exponere casus.
Aspice quà totum Nereus circumsonat orbem,
Non virtutis opus, non est venerantia famæ,
Sed fraudum sceleratus amor, periuria, cædes,
Auri sacra fames, Venerisque infanda libido
Obsedere animos, cælum iam temnimus ipsum.
O invisus honos mundi, o mortalia corda
Quantus agit cumulus curarum? et secula mundi
Fingimus æterni, casuras turbine nullo
Connectamus opes, quantas assurget in iras
Ille hom[inum] divumque sator, si examen ad æquum
Turpiter exactæ revocabit tempora vitæ?
Et dubitamus adhuc divinis vivere iussis?

~~[illegible]~~ Luxuria, incestus, ventosa superbia, furtum,

Stagnantibus
Sic cum primus aquis perijt ~~Superantibus~~ orbis;
Una eademque fuit scelerum confusa libido,
Donec relliquijs rerum ratis apta ferendis
Campo educta stetit, donec de nubibus atris
Turbidus imber ijt, donec natitantibus aruis
Tota hominum soboles, totumque animantia cultus
Terribiles diro luerant cum funere pœnas.
Nos eadem mox fata manent, eademque meremur
Si modo quod superest uitæ responderit actis.
Ultima lux instat, uastus iam pondere mundus
Emerito nutat, toto signa undique cœlo
Nequicquam monitis mortem exitiumque minantur.
Secula nonne uides cursu sublapsa citato
Aut orbis uacui, aut latæ per fœdera legis?
Labitur in sese numeri pars tertia magni.
Q~~st~~ 25 tamen exactis
~~Quamquam nec plenis~~ numeris sibi secula constant.
Contemplator item quibus infestata procellis,
Et quantis odijs iactata Ecclesia, quantis
Obruta turbinibus, uesana per æquora mundi
Membra ratis conuulsa trahat, iam propria regna
Antichristus habet, cui iam cumulantur honores,

Iamque loco attollunt ſacro, qui cædibus orbem,
Et templum inuoluit tenebris, arma horrida feruent,
Dirus ubique pauor, ⁊ plurima mortis imago.
Iohanam | Quid tibi ~~productam~~que famem, peſtemque cruentam,
Et flammas referam, diuini tyorſa furoris?
Beſtia tartarej mundum premit atra Tyranni,
Horriſonumque minis ſpirat ſecum omnia perdens.
Hinc iuſti immeritò miſeris, miſerabile dictu,
Supplicijs uitam expendunt, nihil igne nec acri
Parcendum ferro, uiolant quoque cædibus undas.
Dum ---- ~~At~~ calcatus humi famæque obductus inani
Languet ~~timor~~ amor Chriſti, quem qui profitetur adorans,
Continuos mortem proſtrat, non filia matrem
f huic Non ſobolem monuit genitor, fera ſæuit Erynnis,
Inque necem tradunt fratres, traduntque ſorores.
Sunt lignum ⁊ lapides, diuumque in honore locati
Quos eadem humanæ uerſabat labis origo,
Numina facta manu, laudemque ex fraudibus iſtis
Artifices ſcelerum ~~e~~quærunt: quid deinde furores
Enumerem infandos? quot fingant dogmata ſectæ?
Vix eſt certa fides, uix ſunt ueſtigia ueri.

Sin autem ad patrios fasces ⁊ inania regna
Respicias, equidem haud unquam certissima fallent
Judicia, ⁊ regnorum obitu cepere potentum.
Ipsæ iam nutant aquilæ, periere triumphi
Hesperij, nec quisquam extremo a littore Ponti
Victor ad alta trahit biiuges Capitolia currus.
Scilicet hoc Vatis memorat Danielis imago,
Quatuor, is ~~⁊~~ formas magnarum more ferarum
Surgentes videt Oceano, validumque Leonem
Æthera nequicquam pennis atque æra petentem:
Informemque Ursum carnes sub dente prementem:
Quin ⁊ fulmineum Pardum, quem quatuor alæ
Sublimem attollunt, totidemque in cornua surgit:
Insuper horrendum ⁊ nulli tractabile monstrum,
Pantheræ catulum credas, Tigrinus rapacem
Robore præduro calcantem ⁊ cuncta terentem,
Ac sibi poscentem soli latissima regna
Imperium mundi. Perierunt aurea sceptra,
Et decus Assyrium, perijtque argentea proles,
Ænea succubuit, vix ferrea crura supersunt,
Argillaque pedes mixti, lutoque tenaci,

'' dudum''
Quæ proprio'' regnant labefacta tumultu:
Restat ut absque manu superincidat eruta moles,
Et quicquid superest immisso pondere frangat,
Haud ultra imperium sperabimus, ~~alt~~ Terra,'' potestas
Maxima perpetuis ~~Quinta sub æterno~~ tandem dominabitur'' ~~æuo~~ annis.

Jamne etiam dubiæ resident sententia menti
Judicis adventare diem, qua mundus, et omnis
summero'' sa In præceps mundi ~~ventosa~~ superbia vergat?
Non alias maiore unquam labefacta tremore
Subsedit tellus, cæcasque excussa latebras
Pandit hians, vastasque urbes in viscera condit,
Saxa ut eiecti quaterent fundamina montes.
Tempestas hinc atra, novumque e nubibus æquor
Cæruleum terris visum est immittere cælum,
Tum nebulæ glomerant, ventisque adversa frementes
Disjiciunt segetes imis radicibus actas.
At procul ingenti soluit se fragmine nubes
Impulsu horrifico, ruit acto vortice torrens
Involvens pecudesque virosque, et tecta ~~fera~~ domorum
Funditus ~~emotis~~ evulsis secum rapit avia saxis.
Ipse pater piceum sinuans super æthere nimbum

Ingentem molem ingenti conamine torquens
Fulminat, attonitis trepidante fragoribus orbe,
Turres ille quidem aut annosam robora quercum
Concutit impingens, aut alta cacumina montium.
Hinc & funesto sudantes igne Cometæ
Spargunt sanguineum flammato crine ruborem,
Ac populis bellum infaustum mortesque minantur.
Sæpius in liquidis apparent nubibus ignes,
Armaque, diversæque acies, faciesque frementum,
Pugnantum strepitus, tormentorumque boatus,
Regibus infelix omen: mirabere forsan
Cur nitidum toties obscurent nubila Solem,
Defraudentque die mundum, cur candida Phœbe
Occurrat toties infausto sidere fratri?
Non o non casu hæc, & non sine numine certo,
Non sine portentis veniunt, stellæque ruentes
Nescio quo monitu ~~[illegible]~~ flagrent, partusque nefandi
Quid referant. Venias quem non procul auguror esse
Expectate Deus, rerumque videre labori.
Namque Draco Stygius tristi stipatus Averno
Sævit, & emissus vinclis, volvantibus annis,
Imperitat, mæsto dudum qui nexus in antro

Carceris impatiens fremuit clauſtra inuida circum
Indignanti odio, et nequicquam murmura frendens,
Vincula molitus funeſto auellere roſtro.
Nunc (grande exitium) fatorum lege ſolutus
Tartaream late terris immittit Erynnem,
Amiſſi necdum demens oblitus honoris,
Et deſueta iterum moturus prælia cælo.
Nunc quà inuectus equis Oriens ſe tollit ab alto,
Et quà ſe occiduus feſſum lauat æquore Phæbus,
Arripuit frenos imperium, Regesque ſuperbi,
Atque Vrbes ualidi ueniunt ſub iura Tyranni.
Jam Regij comites furijs ultricibus acti
Arma parant, et ſe ~~ſ~~ puerorum ſanguine paſcunt.
Non aliter quàm qui Lybica de rupe Leones
Inſana ſtimulante fame per rura uagantes
In miſeras ſurgunt pecudes, inſtantque cruori,
Paſtores fugêre metu: ſic uictor inermes
Perſequitur, totumque animis iam concipit orbem,
Terra uiris tegitur: piceo cum puluere nubes
Pone trahens crepitantem hyemem, flatuſque madentes,
Obuoluit cælum, uenientem ex äere longè

Agricolæ metuunt, fugit omnis paſtor ab agris,
Illa dabit ſtragem ſegeti, ſyluamque ſonantem
Funditus euertet, lateque per æquora ſparget.
At pater omnipotens ſpolijs Orientis onuſtos
Heroas, peditumque manus, equitumque phalanges,
Dum gentes domitant, ⁊ mundum ſub iuga mittunt,
Aggredietur ouans, ⁊ magno robore franget,
Frangitur ut tenuis ferratis ictibus olla.
Qualiter eliſas perrumpunt fulmina nubes
Piniferas traum lo ferientja telo: rupes
Qualiter intortus prono quatit impete turbo
Proceram ramis conuellens montibus ornum:
Talis in arma ruet, tali ſe turbine promet,
Nigrantes fundet mixta cum grandine nimbos,
Imbriferamque hyemem, tempeſtatemque ſonantem.
Igneus irato cui Sol incandia præſtat,
Cui celeres uenti, ⁊ deſcriptus militat æther,
Fulguraque, ⁊ nubes, ⁊ grando immanis, ⁊ imber,
Quicquid et immanſum lanibus ſecat æthera pennis,
Et quæcunque habitant pelagus fluitantia monſtra.
Extamplo rabidasque feras auidasque uolucres

Rupibus aerijs compellet et æthere toto,
Regales quibus ⁊ menſas ⁊ plena parauit
Pocula, ⁊ ingenti ſtruxit conuiuia luxu.
Hic animæ heroum fortes, hic quadrupedantum
Viſcera, ⁊ effuſo natant p̄ſanguine campi. præ
Tunc clauſis pauidi ciues e mœnibus ibunt,
Matres atque uiri, ſtudioque effuſa iuuentus,
Innuptæque manus, iuuat ire, ⁊ inania caſtra,
Semianimesque artus, camposque uidere natantes.
Hic biiuges uictor currus, hic arma parabat,
Hic Regum ſociæ uirtus, hic ſigna locarat,
Hic illum hic ipſum trepidantem fulmen adegit,
Et magno ſubter tellus ſe pandit hiatu,
Ipſe ruit prono præceps ad tartara curru.
Tunc tela exurant campo, teretesque ſariſſas,
Spiculaque, ⁊ currus, caſtrorumque aurea tecta,
Educantque focos, ut luceat ignibus æther.
Triſtis hyems ſi quando niue ⁊ fœta imbribus atris
Ingruet, ac pingues depoſcant frigora tædas,
Pinea nec ualida cædetur ſylua ſecuri,
Lecta nec algentes portabunt ligna per agros

Ruricolæ, facient flammas arma, atque sagittæ,
Fulgentes clypei, et decusso hastilia ferro.
Hic etiam immanes tumulos, immania busta
Hostibus instituent cæsis, arasque sacrabunt
Ad sanctas circum ualles, ubi conditus urna
Ipse suo Gogus signabit nomine campos.
Ante etiam quàm se rerum compleuerit orbis
Alta ruat Babylon diuini insigne furoris
Exemplum iamque usque labat, pœnasque reponit
Egregios animos æquataque pectora cælo.
Turpiter illa thorum uetitis operata hymenæis
Prodidit, et reges ad furta incesta uocauit,
Mater adulterij, cui quondam et gloria formæ,
Et casti fuerat laus non ingrata pudoris,
Nunc caput insanum triplici redimita corona,
Vestibus auratis, et tincta murice palla
Sublimis uehitur, diuumque in honore locatam
Reginam mundi reges utrumque salutant.
At pater omnipotens fraudes exosus iniquas
Infandam miseræ meditatur ab æthere pestem.
Non illam Reges pacti mercede cubilis
Saluabunt, frustraque uolunt contendere cælo,

Exul, inops errabit, egens hominumque fugiet,
More latens famulæ, nec terris tuta nec alto,
Heu quantum regno Babylon mutata priori,
Cum vires divum, ⁊ cæli penetrabile fulmen
Assimulabat ovans, date tympana, tollite palmas,
Cantemus merito Babylonis funera versu.
Flete graves casus tumidum qui navibus æquor
Scinditis, ⁊ fulvum mutatis mercibus aurum,
Qui teretes gemmas, ⁊ vestes syndone textas,
Ostrumque, ⁊ bysson vehitis, pictosque tapetas,
Et Parios lapides, æraque ⁊ pondera ferri,
Unguentum, ⁊ succos multum fragrantis amomi,
Et præstans vinum, preciosa inventa Minervæ,
Munera telluris, iumenta hominesque coemptos,
Quorum navigiis dives Regina superbit,
Ibimus ac gelidum plorabimus ante feretrum,
Vos ferte exequias cineri, mæstæque cupressi
Stent circum, ⁊ longo ducantur funera pompa,
Previus ibit Sathanas nigranti indutus amictu
Apparet instructos ignes, gaudebit Avernus,
Lætior ⁊ tristi Cocytus mugiet unda.

Flete graues casus qui splendida sceptra tenetis
Magnanimi reges, inter quos illa ueneno
Inficit, inquam sui cecos pellexit amorem.
Saxea cum moles spumosum missa sub aequor
Ima petit casu rapido, neque redditur ultra
Aethereis auris, iacet alto gurgite mersa:
Sic obscaena ruet meretrix, neque tollere lapsam
Vltra se poterit, quae nunc sub tegmine Regum
Tecta, inflata sedet, gemmis praediues ⁊ auro,
Forte uicem factis, regno quos illa potenti
Pressit, ⁊ immeritos opibus mulctauit auitis,
Cum male composito numerarat gaudia luxu,
Fortunaeque uicem rebus nescirat amicis.
Vna illi interitum ⁊ saeuos ferat hora labores,
Innumsanguine necem, ⁊ luctum experietur amarum,
Gaudia dediscet posthac, uox nulla fauentum
Praecinet, ac tristi mutabit iubila fletu.
Et timidum uelut uiolento fluminis nautam,
Luctantem undarum alis, portusque petentem
In fluctus referant uenti, cum mitior Eurus
Aspirat, Boreas contra tunditque feritque
Immitemque rapit: sic sors aduersa repellat

Fortunam, quæcunque ſuis miſerata ruinas
Fulgebit, ſenſimque manum labatur inerti,
Spectabit cælum, clamorem ſydera tollat,
Nunc meretrix demum ſentit facta improba ſentu
Haud ſine lege Deum, ſacro quia ſparſa cruore
Ultrices diris macularat cædibus aras.
Hæc adeo extremæ prænuncia ſigna diei,
Humano quæ non ſtudio natura negavit.
Cætera quæ penitus ſummis abſcondita fatis,
Scire datum nulli, nullis exercita curis
Mens potis arcanas divorum inquirere leges.
Hæc ubi fatales abſolvant omnia curſus
Judicium accelerans deſcendet ab æthere Chriſtus
Falce ſua miſſis divinam cogere meſſam,
Tunc et cæleſtis replebitur area fruge,
Et mixtas ſegeti lappas loliumque recidant,
Congeſtum in faſces, æternoque igne cremabunt.
Ergo operam ventri dabimus, ſemperque futuræ
Securos pænæ in multam producere noctem
Tantus amor ſomnos? heu mens humana nefandis
Oppreſſa in tenebris, quamquam prænoſcere fata

Creditis? ⁊ causas potuisse aperire latentes?
Hora latet certè, sed quælibet hora putanda est
Iudicio decreta Dei, cum incertius illa
Sit nihil, at nihil est æque præsentius illa.
Quamquam alijs magis est cæli variabile numen
Astrorumque habitus vidi, partusque necessum est
Præmonstrat finem natura ⁊ conscius æther.
Aspice cum ficus protrudit palmite gemmas,
Cum caput alticomum vernanti fronde coronat,
Primos intexens flores, cæpitque virere,
Haud dubijs iam tum signis gaudere colonos
Imperat, ⁊ tristes hyemes aurasque rigentes
Usque procul fugat, atque æstates rure serenas
Nunciat agricolis: certo sic ordine rerum
Mutantur vertuntque vices, his pontus ⁊ æther
Legibus utuntur, sic mundi secula certis
Clauduntur numeris, ⁊ certo fine feruntur.
Fors quæ nostra aliam fuerit fortuna requiris,
Arbiter ingentis ~~[illegible]~~ # cum vertere mundi # formam
Cœperit, exactasque hominum cognoscere vitas,
Dilatamque diu damnatis moverit urnam.

Accipe quæ sacris alibi sunt prodita scriptis,
Hæc tibi monstrabunt, quæ tunc industria, quæve
Desidiæ hominum fuerit: Bis quinque puellæ
Expediunt cultus ad tædæ festa iugalis,
Ferre pedes simul, ⁊ venienti occurrere sponso,
Pars fatuæ, pars prudentes, cursuque citato
Transmittunt campos ⁊ picta coloribus arva.
Interea studio fessos spacioque viarum
Illabens oculis molli perfusa sopore
Demulcet requies animos, nox humida cursus
Jam voluit cælo medios, ⁊ plaustra supino
Vix piger nitens vertit temone Bootes,
Fama puellarum trepidas allabitur aures,
Sponsus adest, sonuere lyræ, clangorque tubarum
Signa ciet, lateque exultat tibia flatu,
Sponsus adest, ite ite viri, ⁊ producite pompam.
Nec mora, consurgunt media de nocte puellæ,
Et tenerum cingunt festo velamine corpus,
Ornatæ gemmis pectus surasque decoras,
Tum succum expediunt lychnis pinguemque minervam
Quos animus maior tenet, ⁊ clamore frendo

Prudentes abeunt, Regique occurrere gaudent.
At fatuæ lychnis crassa migrantibus umbra
Luctantur fumo ingenti, sine viribus undant
Lampades, ⁊ tenui rutilant sub nube favillæ,
Jamque adeo absumptum fumus demittit honorem.
Illæ quid faciant dubiæ, quo dedecus ore
Hoc tantum excusent, dum nutrimenta sorores
Solamen facibus rogitant, precibusque negatis
Palladios abeunt pretio reparare liquores,
Haud reditus gnaræ, sonuerunt signa, tubæque
Interea, ⁊ celebri sponsus se agmine profert.
Obvia turba ruunt, ⁊ læta voce salutant,
At studio ardenti sponsalia sacra frequentant.
Inde procul longeque defertur ad æthera clamor
Gratantum Regi thalamos, linguisque faventum.
Ille choro socium stipatus gestit, ⁊ aulam
Regali instructam luxu, dapibusque beatis
Intrat, ⁊ in multam ducit convivia ~~lucem~~ noctem.
Interea ~~At foris~~ objecto clausi stant obice postes,
Intempestivo ne quisquam ad gaudia more
Irruat, ad dictam qui non convenerat horam.
Ecce autem dum tecta fremunt regalia plausu

Lætaque diſpoſitis libantur pocula menſis,
Adueniunt famæ, foribus cum limine iunctis,
Inſtructæ facibus tardis, at ferrea fruſtra
Ianua pulſatur, tectis ſcedite noſtris
Sponſus ait, nec enim clauſo qui limine foris
Ignotusque manet, noſtro admittatur honori.
Sic qui ſera nimis tutarit ueſtigia Christo
Obuia, ſecurus tenebrarum, oleoque carentem
Lampada protulerit, tunc cum caligine mundi
Et cæco umbrantem nox atra inuoluet amictu,
Ille alios cælo fruſtra ſpectabit ouantes.
    Utque aliquis diues rerum, diuesque repoſtis
Fænore perpetuo nummis, cui plurima curæ,
Et paſſim terraque marique negocia tractat,
Si fors illum alio ſua res immenſa uocarit,
Committet ſeruis rationes rite gerendas,
Mutandumque aurum menſis ⁊ fœnus agendum,
Ut grauis abſenti pariat uſura ~~[illegible]~~ [illegible]
Inferat, ~~aut~~ duplici ſurgat ſors improba lucro.
Atque alij ſtudio incumbunt, ⁊ fœnore nummos
Accumulant, menſæ inuigilant, ſemperque recentes
Debitor uſuras rationata ſorte reponit.

Aſt alius rebus non æquè gnarus agendis,
Immunisque operæ, et dum læſurus auarum,
Abſcondit ſortem, et ſterili defodit in aruo,
Ut malè commiſſum redeunti proferat aurum.
Ille ubi deinde redit, nummos cum fœnore poſcens,
Quos habuit ſeruos augenda ſorte fideles,
Laudibus attollit, claroque ~~adſignat~~ + honori, + adſcribit
Compenſans magna exiguum mercede laborem,
Milleque argenti credens aurique talenta.
Ignauum uero, domini neque moribus aptum
Sublimem rapit, ac manibus poſt terga reuinctis,
Compedibus uinctum tenebras demittit in imas.
Taliter omnipotens cum ſcandat Chriſtus Olympo,
Depoſitum fidei repetet, ſortemque repoſcat
Scilicet unumquemque ſuam, frugemque repoſcet
Fœnoris unumquemque ſuam, quo quiſque decorem
Virtutis ſtudio ſolers ornauit, et aurum
Commiſſum haud ſterili cumulauerit impiger uſu.
At miſerum ſi quem nec iuſſi cura fatigat,
Munera nec pleno reſpondent credita fructu, ſenſu,
Excluſus cœlo deget cœtuque beato.

Si mihi nunc eſſent linguæ centum, oraq́ centum,
Ærea vox, durumque diſerto in pectore ferrum,
Non tamen eloquio maieſtatemque verendam
Judicis, ingentemque metum, ingentemque laborem,
Ac miſeras hominum poſſim comprendere curas.
Expectata dies aderit, cum nube ſerena,
Siue ea Phæbeo radiet percuſſa nitore,
Seu face nocturna, Crux ſacra, notabile ſignum
Fulgebit, pariterque Deus per inania cœli
Iride prouectus pauidum deſcendet in orbem
Arbiter omnipotens, quem circum flamma coruſcans,
Fulguraque, ⁊ volucri nymboſum turbine fulmen.
Attonitum fugiet cœlum, vaga nubila voluent,
Et tellus imis penitus tremefacta cauernis
Subſidet, ſupero metuens ſe pondere mergi.
Ipſe etiam Oceanus præſagis fluctibus horrens
Excutiet ſeſe, ⁊ pontum fundo eruet imo,
Altaque terrarum ſpiſſis inuoluet arenis.
Sol aget in tenebras faciem, rebusque negabit
Emeritis lucem, ſtellæ per inane ſolutæ
E ſtatione ruent, alios iam quærere curſus
Sydera lege noua, terræque inſiſtere credas,

Omnia depascent flammæ, simul arduus æther
Ignibus ipse suis, et lucidus ignibus orbis
In cinerem recidant, Veluti pro fulminis raptum
Si pater omnipotens radianti pronus Olympo
Summittat terris Solem, simul ille flagrantes
Succendat Sylvas, siccumque exhauriat æquor,
Atque unum videas sorbentem cuncta caminum.
Pascetur flammis convexi machina mundi,
Sordibus atque suis uno purgabitur igni,
Ut veteri similis renovata nitescat Olympo.
Non aliter quam cum rudis indigestaq massa
Argenti fornace liquens æris ve recocti
Uritur, et purum socio fluit igne metallum.
Buccina mox autem stellanti concita cœlo
Horribili terras implebit & æthera cantu.
Illam etiam Eoi tumuli, cineresq Sabæi,
Si quis & ad nigros nobis procul accubat Indos
Audiet, & si quis gelidas procul atterat ad arctos.
Illius horrentes sonitum fastigia montes
Summittent, juga deijcient, ac turbinis instar
Aërias quondam motantes rupibus Alpes

Incipient patulas alio traducere syluas.
Tum septemgeminis delatus in æquora linguis
Nilus ad australem conuerso flumine pontum
Refluat, atque ignes anhelans sub sole calenti
Incertusque sui qua currat origine Ganges
Ad Scythiam flectat trepidans acresque Gelonos.
Turbidus ipse autem ⁊ densatus nubibus aer
Hunc cœli motum ⁊ fractos mirabitur axes,
Ac discurrentes nullo tantum ordine stellas.
Ast homines perculsi animis formidine magna
Stabunt attoniti, rerum nouitate, pauentes
Terrificumque tubæ sonitum, undique fragorem,
Surgentes tumulis cineres, terramque trementem,
Et non assueto pallentem sidere Solem,
Naturamque noua prorsus se lege mouentem.
Atque aliquis tanto rerum in discrimine mortem
Expetat, immittique undis, aut hiscere terram,
Ignotaue manu, proprioue occumbere fato,
Si qua Dei præsens iram exuperare potestas.
Quin etiam eximia reges de laude beati,
Gloria quos ingens auxit ad alta locorum,

Anxietate animi nimia, rerumque futuro
Confecti mœrore, & quæ sibi conscia mens est,
Sub latebras fugient, mutabunt arcibus antra,
Optabuntque tegi saxis, sic corda sinistras
Ibunt in curas, & facta instantia uoluent.
Dum metuunt, aderit Judex, tuba martia clanget,
At loca replebit sub utroque iacentia Phœbo.
    Illicet assurgent quæ dudum corpora terræ
Condita sunt, iterumque sua se pelle sub auras
Attollent, eadem facies, eadem ora redibunt,
Ossa eadem, sua membra eadem, licet oīa flammis
Perdita sint olim, licet omnem sparsa per orbem
Ossa locis iaceant, licet alto in flumine mersæ
Reliquiæ lateant, fatorum is uertitur ordo,
Ipse cinis membrum fiet, mirabile dictu,
Accrescetque suæ parti, simul ossa recurrent,
Florebitque nouum integra cōpagine corpus.
Quod licet humano sensu deprendere non sit,
Efficiet solo diuina potentia uerbo.
    Sunt eadē priscis quandoq; relata prophetis,

+ Busiadesque sub Assyrio cum dicerat anni,
Qua Babylon celsis tendebat in æthera muris,
Ista prius uidit, ipsa accepêre minores.
Campus erat spaciosus, & omni ex parte patebat
Maximus, a membris functorum atq; ossibus albens,
Ossa procul spacio ingenti disiecta iacebant,
Defunctum gentis Isacidum, plorata propago.
Hic ubi cælestes monitus, Vatisque loquentis
Iussa tulêre Noti, prostrata cadauera campo
Vitam ut conciperent, & pelle induta recenti
Erigerentur humo (sunt tanti oracula Vatum)
Fit sonitus, tenuique uolarunt murmura uento,
Qualiter horrescunt a primo cærula flatu,
Cum nondum incubuit Boreas, & turbida nondum
Nubila cinxerunt atra caligine cælum.
Ossa reminiscunt uario commota tumultu,
Quæque suum corpus repetunt, peragrare uideres
Membra per arentem campum & concurrere membris,
Donec ut ille uiri renouato corpore starent,
Antiquum gentis Israel, & flamine donec
Spiritus immisso membris uenit, illicet ipsi

Tolluntur terris, uiuasque iubere sub auras
Viue homines, iterumque priori luce fruentes.
Sic eadem nobis iterum data uiscera carnis,
Hanc carnem, hos uultus, oculosq;, manusq;, pedesq;,
Vt soluuntur humi, aut lento torrentur ab igne,
Sic defuncta suis consurgent corpora membris.
Possunt plura etiam dubitanti signa referri,
Si quis ab humanis discat cælestia rebus,
Christus ubi rigidā soluisset in arbore uitam,
Transirentque loco rupes, & plangeret æquor,
Plurima functorum conspecta cadauera bustis
Surgere, & attonitam ferri clamore per urbem.
Quin & præteritos numerauit Lazarus annos,
Qui bis deflere potuit, bis linquere Solem,
Atque alij superas reuocati in luminis oras.
At qui uitales auras & sydera cernunt,
Per magnum uocis ignari rapientur inane,
Sistenturque Deo, non illi lumine cassos
Præuertant, ueniantq; pari super æthera passu.
Haud omnes etenim terra condantur opaca

Verum omnes magnum reuocabimur ante tribunal,
Cum tuba terrifico terras premat horrida cantu.
Nam ne fors animus dubium, neu credulus error
Ignarum capiat, quanam ratione quod inſtat
Conferre poſſit, paucis aduerte docebo.
Principio ſator omnipotens, idem omnibus auctor,
Cum primum ætherei fundamina maxima mundi
Compoſuit, terraſque una pontumque locauit,
Cum genus undiſonum natum & Neptunia monſtra,
Et tandem inciperent terræ cognoſcere ſolem,
Humanos ſolers artus, informaque membra,
Educebat humo, ſpiſſæque innixus arenæ
Terrenos ſupera deſcripſit imagine vultus.
Mens autem melior cælo deducta ſereno
Pars hominis, pars ipſa Dei, cæleſtis origo,
Intus agit ſenſus, totamque infuſa per artus
Exercet molem, & fragili ſe corpore miſcet.
Hinc olim cælum & ſuperas agnoſcimus artes
Intenti, & procul obtutu gaudemus ouantes,
Quam Deus impreſſa reliquit imagine lucem.
Quamuis prima lues, & multum noxia tardant
Corpora, terrenique artus, moribundaque membra.

Sed nunquam obtusos animalia caetera sensus
Expediunt, nec eis fas ignea cernere regna,
Communem lucem, atq aurae simplicis haustum
Concipiunt, nec eis sensus post funera restant,
Uno eodemque modo corpusque animusque recedunt.
Mens aeterna manat nostro quae corpore fusa
Divinos ortus, divinae lumina lucis
Participat, vivumque trahit per membra vigorem.
Nec mirum si pars etiam immortalis emergat
Corporis, & nunquam fatalia munera nosset,
Quod deus penitus foveat vis insita mentis,
Ni primas ultro leges & stricta Tonantis
Spernere terrigenae maluissent iussa parentes,
Et mortem terris fatumque inferre merendo.
Hinc nos, supremo cum lumine vita reliquit,
Primaevum luimus scelus, infectamque necesse est
Morte alio prius in tumulis molescere massam,
Atque novo penitus se corpore ferre sub auras.
Interea latitant animae, sedesque revisunt
Ætherias, donec completo temporis orbe
Concretam exuerit labem lacrymabile pondus,

Atque illæ incipiant in corpora uelle reuerti.
Nec uero si quem ferrum aut ferus ignis adedit,
Membra uti porriciant omnes conuulsa per agros,
Aut cinis ingenti spargatur in aera uento,
Sub terris aliud corpus, fortè altera membra
Induere, atque nouo credas de more creari.
Cuilibet æthereas, quod erat, cum duceret auras,
Corpus habebit idem, pura sed mente renatum,
Purgatum scelere, ⁊ uiuis uirtutibus auctum.
Nunc etenim assiduis agitatum casibus hæret,
Tristibus exhaustum morbis, uitÿsque, neque
Expositum, innatis unquam sanabile curis,
Jam crescit, decrescit idem, potuque ciboque
Indiget, ⁊ uigilat, uigilata luce quiescit,
Lætatur, mæret, sudat, sitit, esurit, alget.
Ac licet elatum cælo se iungere certat,
Incassum capti lapsu defertur inani,
Immensumque animæ pondus, curisque uolutat
Sollicitos sensus, prauæque libidine carnis
Impedit æternam mentem, uenturaque spernens
Non sinit astrigeras hominem conscendere sedes.

Ast ubi se tulerit mæstis caro tecta sepulcris,
Integra, nullius uitij de labe notata,
Longe aberunt tristisque lues morbique sequaces,
Membra necem iam tum dediscent posse uereri.
Qualiter æthereum Christi de marmore corpus,
Viuus ubi superas busto remeabat ad auras,
Per lapidem obstructum, per uastam in limine molem,
Perque fores penetrans membris pernicibus ibat,
Talis erit caro nostra: suo sed corpore Christus
Surgit, et inuisa traiectas cuspide palmas
Ostendit, fossosque pedes, pectusque cruentum,
Corpore nos etiam, quo carpimus aera, eodem
Surgemus, corpus tantum renouabitur istud,
Et simul æternis fulgebit comminus astris.
Ordine sic generis galida quasi morte renati
Perpetuam induimus faciem, uiuosque uigores,
Ignarum mortis corpus, uitasque beatas
Iam ualut assuetum, et rapido uelocius Euro.
Arida cum primum mandantur semina terræ,
Non enata prius Cerealis floret arista,

Quam glebæ impressum semen computruit anno,
Tum demum spicis segetum, ⁊ uirtute recenti
Exilit, ⁊ multo tandem se fenore prodit.
Condimur in tumulis per multa pericula iacti,
Polluti uitijs, quos tot discrimina mortis,
Tot casus agitant fortunæ mole subactos:
Surgimus integri, materna labe refecti,
Florentesque noua uirtute ⁊ uiribus aucti,
Exutaque redit membris noua uita surrecta.
Cristallum ueluti penetrat uis ignea Solis,
Omnia transibit terrena peste solutum
Corpus, ⁊ ut radijs fulget Titanius aureis,
Stelligera patris æterni radiabimus aula.
At ueluti stellis fulgor non omnibus idem,
Alteraque alterius præcellit luminis lumen,
Sic alijs alij potiore feruntur honore,
Quique graues olim casus subiere ferendo,
Quique sacri uates, ⁊ qui sibi sanguine uitam
Hanc peperere suo, cumulata præmia lance
Accipiant maiora alijs, quia maior in illis
Et labor ⁊ uirtus, quia non honor omnibus idem.

Nec tu, quos forsan regum fera facta securis
Supplicio immeritam vidisti exoluere vitam,
Aut igni dare membra, aut alto in flumine mergi,
Nequicquam hanc cæli veris contemnere lucem.
Olim aliud mercedis erit, cum fortè iuuabit
Proiecisse animas, ⁊ inani munere fungi.
Sin casu verò mors omnia raptat eodem,
Et nulli deflata manent post funera sensus,
Nescio quæ miseros solatia digna manebunt,
Qui tantis premimur damnis, tantumque subimus
Curarum, assueti fatis crudelibus uti.
Nunc reformides mortem ⁊ nunciantia fata,
Morte labor cessat, tanquam qui fessus iniquo
Curarum stimulo componit membra quieti,
Quando sopor blandis furtim subrepsit ocellis.
Nam velut is medij perfusus dulcedine somni
Excitus evigilat, sancti sic morte soluti
Excutiunt vigiles de molli lumina somno.
Hinc ubi divinum confluxerit ante tribunal
Humanum genus, ⁊ terra toto excitus orbis,
Qui solem rapidum ⁊ contraria littora norunt

Quos Boreas, ⁊ quos tepido tulit Auſter ab axe,
Quique aliter terram ſubter uel nigra carpunt.
Cernere erit primum ante alios ætate parentem,
Tot natos poſt ſe numerantem, totque nepotes,
Geſtantemque manu fatalis munera pomi.
Iuxtà paruus Abel uix primo in limine uitæ
Heu crudele ferens inſonti pectore uulnus.
Pone Cain, qui toruus adhuc uultumque minaci
Ingreditur uultu, indignans poſt fata repoſci
Fraternas cædes: alijque ex ordine patres,
Noas pampinea ſuccinctus tempora uite,
Et ſenior Tarides chara cum prole, ſuiſq;
Bis ~~[illegible]~~ ſeno natis numero comitatus Iacob,
Atque ſacer Moſes, cui ſparſos infula crines
Et gemmæ frontem obtendunt, ⁊ frater Aaron,
Inde pij reges, cytharaque inſignis eburna,
Pſalmographo reſonans genialia carmina plectro
Vates natorum decus inuiolabile Vatum,
Atque alij innumeri, quos omnes cernere coràm
Fas erit, ⁊ totum paſſim cognoſcere mundum.
Infantes illic, qui primo funere rapti,

Et quibus haud licitum partus producere luci,
Magnanimi Heroes, nupta atq; innupta iuuentus,
Gargarico quot non numerantur littore spicæ,
Quot uolucres nunquam uacuas lusere ~~[illegible]~~ per auras,
Quot nunquam madidas pontus iactauit arenas.
Atque aliquis turba in tanta cognoscat amicos
Protinus, & cupiet complexu iungere dextram,
Ire gradu, & saltem notis conferre salutem.
Clamantesq; alij tollant cum uocibus ora,
Lætantes facti toties tum denique uoti.
Ast alios trepido stupefactos pectore Reges
Frigidus horror agat, quo scilicet ista gerantur
Numina, quæ rebus ~~nō [illegible]~~ spectauere secundis.
Ipse sedens Iudex solio, magnoque uerendus
Ore pater, iuxtà sacri pars tertia Regni.
Hinc atque hinc coelum trepidum, stupefactaq; tellus,
Totaque in aspectu rerum natura tremiscet,
Audire infantis uentura exordia mundi.
Inde manu ualida uinctis ducetur ahenis
Damnatus Sathanas, horrendum sydera spectans,
Et multum indignans elapsi secula regni.

Hic superis prima faciens ab origine bellum
Molitůs patrio est Natům detrůdere sceptro,
Et coniůrati cælům rescindere fratres.
Hic aliquem ex magno compellans agmine Iudex
Crimina cognoscat trůtina librata bilance,
Qůi diůina sacri sciůerunt dogmata ůerbi,
Qůi leges & iůra dei permissa tůlerunt,
Cůique datům imperijs gentes frenare superbas,
Et qui sortiti priůato můnere ůitam.
Non o non sůbitům est, non ůnius ista moůetůr
Aetro momenti, magnam defendere caůsam
Est opůs, hinc Satanas, propriæ hinc conscia culpæ
Intendant litem immensam, primosq parentům
Criminis damnabůnt ad quæque piacůla sontes.
Felix qui potůit ůitali sorte peracta
Sůb lucem extremam trepido in certamine mortis,
Dům fůgit exanimis lůctantes spiritus artůs,
Criste tůam mortem, tůa suauia prendere iůssa,
Et secům manes solatia ferre sůb imos.
Non illům præsens rapidi inclementia lethi
Moůerit, aůt tristi poterit conůellere lůcta,

Quin rabidas Erebi fauces, ⁊ inania fata,
Fumantesque lacus, ſtrepitumque Acherontis auari
Euolet, ac caſus uictor deſcendat in omnes.
Vis aliam arbitrij ſeriam, atq nouiſsima uerba
Iudicis ætherei, vocemque audire Tonantis,
Qua uitas hominum, ⁊ uarians determinat æuum?
Sit mihi fas prædicta loqui, ſit numine certo
Pandere ueſanis non exaudita Tyrannis,
Et uixdum tenues ſcrutantum obeuntia ſenſus.
Namque ouibus paſtor tauris cum ſegregat hædos
Vt dextra diſponat oues, hædoſque ſiniſtra:
Sic iudex populos omnes omni orbe coactos
Secernet, dextraque alios aliosque ſiniſtra
Conſtituet, tum ſpes inter mixtumque timorem
Talibus ad dextros attollet uocibus ora:
Huc agite æternæ ſperata ad gaudia uitæ,
Quos ego naſcentis iam tunc ab origine mundi
His ſtatui mecum pariter ſuccedere regnis.
Fas fuerit, qui me miſerati in rebus egenis,
Digna pijs dantem laudatis præmia Chriſtum,
Vos mea pauperies mouit, cum luſtra terenti

Inflammata sitis linguam cum solverat ori,
Longaque solarer nullo ieiunia victu,
Pane famem, dapibusque famem relevastis opimis,
Fonte sitim, nimium siquando nudus oberrans,
Ventorumque minas, ⁊ frigora passus, ⁊ imbres,
Debita tum nobis fuit huius gratia vitæ,
Cum moritura gelu texistis corpora panno,
Sæpe iter immensum carpens sub nocte viator
Latronum metuens montanarumque ferarum,
Susceptus vestris subij penetralibus hospes,
Vos ægrum, infamem, varijsque laboribus actum,
Invisum terris, squalentique ulcere plenum
Consueta fovistis ope, cum carcere clausus
Damnarer, rigido subiturus iudice mortem,
Immeritam mortem, solatia dicere clauso,
Et mea non puduit comitari funera planctu,
At si sors rebus tantum affulsisset acerbis,
Ipsa in morte etiam fueram sensurus amicos.
Illi lætitia attoniti tum talia reddant:
Christe salus mundi, meritis sine gratia nostris
Stat tua? vel quonam venit hæc clementia facto?

An te unquam miserum, pressumue siti famue?
An te unquam nudum aut exhaustum casibus istis
Vidimus, afflictam solati munere uitam?
Ille autem: Si quid miserorum creditur ulli,
Illi uel minimo, benefactum credite Christo.
Post ea compellans ~~[illegible]~~ horrenda uoce sinistros
Consurgat: Stygios at uos discedite manes
Indigni uita, indigni qui sanguine nostro
Nequicquam fuso. Sathanam uouere parentem,
Ite sub infernos Stygium genus ite sub ignes,
Cum uobis, Sathanæque duci, Sathanæque maniplis
Æterno luctu æterna sub nocte luantur,
Præmia quæ uestris ueniunt iustissima factis.
Qui neque mendicum dignati munere paruo,
Instantes opibus tantum, curisque nefandis,
Nec me, cum sitiens languenti uoce rogarem,
Brachia tendentem liquidas duxistis ad undas,
Defessumque pedes tecto succedere passi,
Nudaque nec uili texistis corpora ueste,
Nec mens illa fuit captiuum accedere saltem,
Iniectum tenebris, et iniqua clade grauatum,

Ite sub infernos Stygium genus ite sub ignes.
Illi prostrati dictis, trepidoque pavore
Confusi ~~potuerunt~~ ruere et vix ora attollere contra:
Christe quis afflictum te, quis conspexerit aegrum?
Aut opis humanae, nostraeque salutis egentem?
Nam tua si nobis conspecta fuisset egestas,
Haud tibi clausa foret nostrarum copia rerum.
Rex super: at non hos dura quos morte redemi
Iuvistis nostro nobiscum sanguine iunctos,
O rerum ingrati, nunc vos manet exitus ingens,
Et sero in mortem dilata piacula culpae.
Sic fatus patrio incipiat succedere caelo,
Annuet aetherio Genitor sublimis honore,
Et pariter concors divini numinis aura,
Magnus ut unanimi nutu subsistat Olympus.
Tum vero ignivomum reprobi mittuntur ad Orcum,
Cum sine more ingent poenae, luctusque, pavorque,
Continui gemitus, timor, et suspiria, et angens
Culpa mali cordis, pulsataque pectora curis.
Nil nisi clamor inest ululantum et dira gementum,
Ima quibus circum lamentis terra resultat,

Et Stygij resonant pulsati fletibus amnes.
Non illic Tityus miserando viscera morsu
Dat lanianda avibus, nec poma fugacia captat,
Nec petit infidus fugitivas Tantalus undas,
Non vagus Ixion spacioso voluitur axe,
Et quae plura canunt insano carmine vates,
Sed si quid peius dici queat, haec quoque si quis
Credat, erunt nulla tantae sub imagine poenae.
Nox ibi perpetua est, cruciat gravis ira Deorum,
Crimina perpetua, et sudanti pectore morsus
Continuant, magnoque exurgunt agmine plagae.
Quid tunc mentis erit miseris; qui morte perenni
Quotquot in aeternum ducent saecula tempus
Fine dabunt dempto poenas. ibi pectoris ultrix
Tisiphone, trepidaeque astant luctamina mortis.
Aspicis ut Dives medio suspirat averno,
Flammantique lacu tollens ad sydera vultus,
Lazaron aetheria suspexit in arce sedentem
Abrami patris in gremio, cruciatibus aeger
Hoc saltem rogat, ut tenuissima guttula fauces
Imbuat arentes, vix linguam verba sequuntur,

Tanta miser patitur, ſed non eſt copia voti,
Nam tenebras vaſtus cælo ſecernit hiatus,
Et quemcunque ſemel rapit atri ianua lethi,
Non redit ad ſuperos, manet æternumque manebit.
Illic & ualitis uenerati numina uotis,
Quique manus auidas fraterno ſanguine tingunt,
Qui ſacra confoſsi blaſphemant uulnera Chriſti,
Coniugiumque auſi caſto violare nefando,
Carmine conati deducere ſydera cælo,
Sollicitare ſuis & uertere corda uenenis,
Qui pretio leges fixere, emptaque clientes
Fraudauere ſuos lingua, ſolumque repertis
Incubuere opibus, ſpeſque immanere caducas
Addicti flammis æterna piacula pendunt,
His neque uiuendi ſpes eſt, neque pectora uermis
Deficit arrodens, neque mortis copia præſto eſt,
Nec diræ faciet finem mors altera pœnæ.

At Chriſtus ſancta pariter ſtipante caterua
Intrauit, patris cæleſtia limina regni,
Aſſumetque pios ſceptris, cæloque locabit,
Gaudia quæ nullo ſenſu concepta, nec ullis
Incurrere oculis, nullas uenere ſub aures,

Quanta nec humanis unquam sunt edita linguis,
Depascent, plano sumentes omnia voto.
Æternum vivent cælo, versabitur illic
Angelicos inter cætus turbamque beatam
Nequitijs exutus homo, semperque videbit
Divinam faciem & iucunda luce fruatur.
Cessabunt oculis lacrymæ, tristesque ululatus,
Inclytaque æternæ florebunt ocia pacis.
Aurea nunc iterum sed mundo ignota priori
Secula parta pijs cælo peraganda redibunt,
Non erit atra fames, non ardor Solis adurat
Frigora non nimia premant, Agnusque ~~Tonantis,~~ paternus
Quas saluavit oves vivas deducat ad undas.
Quippe novum cælum & nova terra videbit orta,
Machina quando prior flammis atque igne novata est,
Et mare [illegible] ponto nova brachia tendet.
Cernere erit Sanctam fabrefactis mœnibus Urbem,
Undique distinctam gemmis, auroque coruscam.
Qualiter in summo cum Phœbus in ære refulget,
Cum neque tempestas cælo, neque nubila luci
Ob[illegible]ant, erit hæc Urbis fulgentis imago.
ũer

Æquati cælo muri, & splendentia longè
Summa repercusso collucent culmina sole.
Sex portæ, totidemque, aduersis turribus extant,
Aurea de puris surgunt fundamina gemmis,
Murorum facies fulgentis Iaspidis instar
Irradiat, quoties rutilanti includitur auro,
Quam procul Eoo quærunt in littore nautæ.
Ignea castra tenent muros portasque patentes,
Portas Isacidum duodeno nomine dictas,
Mille patet stadijs, & parte æqualis ab omni
Murus turretis incingit mœnia fossis.
Non illam pulso nocturni sydere cæli
Illustrat rutila consurgens lampade Phœbus,
Nulla per obscuras terræ reuolubilis umbras
Luna uago reparat crescentia cornua motu,
Ipsa suum per se solem sua sydera nouit,
Huius ignotæ ducuntur lumine gentes,
Illuc & clari Regum memorantur honores.
At procul & tenebræ Stygium remouentur Auernum,
Et procul immundæ sordes, actumque malignis
Dedecus a maculis ablutum sanguine mundo

Hæc est illa domus, riguo quam ductus Olympo
Fons illimis aquæ nitidis argenteus undis
Perluit, ⁊ læta campos uligine complet,
Unde sacri passim ducuntur fontibus amnes,
Perque nouas undant plateas ⁊ strata uiarum.
Hic ⁊ felices syluæ, lucique silentes
Fortunatorum nemorum, hic lætissimus æther,
Et faciles auræ Zephyro motante susurrant,
Hic omnis uiridi campus se gramine uestit,
Riparumque thori, ⁊ prata recentia riuis.
Cœlestes animæ lucos ⁊ flumina circum
Exercent pariter choreas, ⁊ carmina dicunt,
Atque alij densis nemorum spaciantur in umbris,
Quà sese fluuium propter sacra robora tollunt,
Robora perpetuæ florentia munere uitæ,
Qualia diuinus quondam paradijsus habebat,
Quorum cœlesti distillant nectare rami,
Felices rami, ⁊ morbis medicantur anhelis.
Contendunt alij ludo, quibus una uoluptas
Aut campum cursu, aut fluuios tranare rapaces,
Quæ ~~quisq~~ apud superos multo lætatus amore

Aſtijt, illorum poſt mortem gratia tangit.
Aſt alij æthereos orbes, ſoliſque meatus
Ediſcunt, ſtudio intenti, quæ fulminis aura,
Æſtuſque, pluuiæque, ⁊ agentes frigora venti.
Eſt locus aerigeri ſupra flagrantia mundi
Sidera, quo genitor cunctorum deſuper orbem
Deſpectat, mortale genus per fata coërcens,
Tectum auguſtum, ingens, ſtellantis regia cæli,
Atria clara uocant ſuperi, quâ trina Tonantis
Stat ſedes fulgore micans, ⁊ peruia nullis
Luminibus, neque ſera uibrant ibi ſydera noctu,
Nec Sol cunctorum radijs irrorat Eois.
Cernitur hic ordo rerum, penituſque repoſtæ
Apparent cauſæ, ⁊ ferrato in limine fatum,
Quicquid ab æterno eſt immota lege ligatum.
Tali intus tecto ſpacioſa uolumina cæli,
Stellarumque uagos latè mirabimur orbes,
Quæque diu terris multo ſudata labore
Vix aliquo potuit mens ægra attingere captu
Planius occurrent oculis, cernemus opacæ
Incertam Lunæ faciem, Soliſque iugales,
Suppoſitaſque infrâ mundi ſpeculabimur arces.
Hic alijs alij paſſim ſpectante caterua

Stipati notas olim narrabimus Vrbes,
Voluemuſque iterum primis anteacta diebus,
Quæremuſque ultrò ueterum quæ geſta parentum.
Sanctus Adam primos narrabit in ordine lapſus,
Cui ſtatus inceptæ uitæ, et Deus optimus illi
Sæpius aſtiterit, circumludentibus ipſum
Flammigeris animis, ut Lucifer ignauus olim
Aggreſſus ſuperis infandum intendere bellum,
Quæ ſibi narrarit mundo confecta recenti,
Triſtia ſolatus ſerorum fata nepotum.
Aſt alij expertem fati, lethoque negatum
Stipabunt Henochum, magnoque ferentur honore,
Et pars gaudij erit uoces audire loquentis.
At ſacer & ſacris redimitus tempora gemmis
Colle ſacro Moſes ſibi uiſa ingentia pandat,
Arcanos aditus rerum, tumulumque latentem.
Sic intra cælum iuncti uerſabimur una,
Multorum uultus notos atque ora tuentes,
Et quos tanta uiros celebrauit fama minorum.
Atque aliquis pontum ſpectans terraſque iacentes
Protinus optabit deſertas uiſere ſedes,
Antiquaſque domos luſtrare, urbeſque ſilentes,
Quò mens alta uolat, rapido ſe corpore ſiſtet.

Qualis inaſpecta uelatus Spiritus aura
Mole ſua leuius, & ſeipſo celerante tulit ſe,
Taliter ætherio uolitabunt corpora motu.
Hac arcana tenus ſecli memorata futuri,
Quantum homini promiſſum datum, non omnia ſeſe
Terreno expediunt ductu, nec ſit mihi certum
Dicere quæ rerum facies poſt funera tanta
Emeritum excipiat mundum, quæ forma locorum,
Diuerſoſque habitus cœli, terraſque recentes
Scribere, & arcanos ſuperum recludere fontes,
Cum denſa penitus iaceant caligine preſſa.
Hæc tantum & ſi quæ melius ſe forte dediſſent
Carmine ſufficiat tenues uigilaſſe camœnas,
Dum procul obſcuro captamus nubila ſenſu.
Cætera ſecreti nouit Deus arbiter æui.

Finis Meditationis de extremo iudicio.

[illegible] nostras [illegible] [illegible]
[illegible] [illegible] et [illegible] [illegible]
[illegible] [illegible] [illegible] tempore [illegible]
[illegible] [illegible] [illegible] [illegible]
[illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible]
[illegible] [illegible] [illegible], non [illegible] [illegible]
[illegible] quæ [illegible] [illegible] post [illegible] [illegible]
[illegible] [illegible] [illegible], [illegible] [illegible]
[illegible] [illegible] [illegible], [illegible] [illegible]
[illegible] et [illegible] [illegible] [illegible] [illegible]
[illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible]
[illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible]
[illegible] [illegible] [illegible] [illegible]
[illegible] [illegible] [illegible] [illegible]
[illegible] [illegible] [illegible]

Finis Meditationis
de extrema unctione
[illegible]

M. Casparis Schutzij Isleviensis

Panegyris

In solenni promulgatione Privilegiorum
Academiæ Regimontanæ.

Ad Albertum Seniorem, Prussiæ Ducem.

Musæ Castalides, Musæ quibus inclyta cordi
Facta Ducum, ⁊ memori Reges transcribere famæ,
Ferte pedem, viridis seu vos iuga frondea Pindi,
Seu vos Thessaliæ lucos, ⁊ mollia Tempe
Fortè iuvat legere, ⁊ Phœbo variare coronam,
Ferte pedem, ⁊ nostri solennia festa Lycæi
Carmine perpetuo nostris inscribite lauris,
Carmine quod nostri possint meminisse minores.

Tu quoque præſentis merito Dux maxime ſecli
Huc ades, hoc proprium maneat te principe munus,
Sub quo fœlices ſtatuant ſua ſigna Camœnæ,
Pro templis, ariſque ſuis, ſacriſque parentum.
O quo te dignum tollam in præconia famæ
Carmine? Virtutes dicam, Martiſque trophæa,
An quæ pacificas fouit indulgentia Muſas?
Scilicet indomiti poſt tot diſcrimina Martis,
Quo tua te ſtantem fortunam impellere virtus
Iuſſerat, & gentem imperio frenare ſuperbam,
Hæc tibi cura prior, poſita cum cuſpide Pallas
Admonuit, quæ fida comes bellum inter & arma
Hærebat lateri, ſatis eſt ſatis, inquit, & armis.
Virtutique datum, tu ne quà fidere regnis
Incipe, quàm Muſas recidiuaſque ſacra reponas,
Muſarumque comes rerum pax optima regnet,
Cuncta tibi teneris pubes aſſueſcat ab annis
Hoc agere, & doctas animum tranſire per artes,
Sic regere imperio populos Alberte memento.
Ergo Boruſsiacis vbi primum condita campis
Bella ferunt, ſiluere tubæ, rediere Camœnæ,

Et Deus Aonio extulit se vertice lætum.
Ergo ades & cœptum pariter decurre decurro laborem,
Non ego te ingressum per longa exorsa tenebo.
Tempus erat quo libra dies discrimina noctis
Æquarat, quantumque adimit de sole diurno
Lux minor, hybernis tantum donaverat umbris,
Jamque exorta dies cœlo removebat Eoo
Sydera venturum praecedens altera mensem:
Cynthius aëria Parnassi constitit arce
Phœbus, & Arctois defixus lumina terris
Protinus astantes compellat voce Sorores:
Mensibus exactis ter sextus volvitur annus
Pierides Musæ, ex quo nobis hospita sacra
Sacra deosque dedit posito iam Marte penates
Albertus princeps, divum genus, inclyta qua se
Attollunt late regalis culmina Montis,
Et sparsas bello iussit reparare ruinas.
Addidit egregios in magno munere honores,
Juraque divinis haud unquam indigna Camœnis,
Ingenus obsequium, nam quisquam nescius erret
Iam docto relegenda dabit sua iura Lyceo,

Quoque modo adductus donauerit ocia Musis,
Nos quoque praesentes, ut quid sit numine rerum
Possit agi, nouimus, erunt tamen haec quoque curae
Caelitibus, nec te Dux inclyte talibus orsis
Nequicquam summo Genitor despectat Olympo,
Ergo agite et notam pariter ~~ten~~damus ad urbem,
Ore fauete omnes, et cingite tempora ramis.
Dixit, et ingressus medium sese intulit Heros,
Insigni iuuenis forma, mollique fluentem
Fronde premit crinem fingens, atque implicat auro,
Tela sonant humeris rutilanti inclusa pharetra,
Quam soror aurato dederat Latonia fratri.
Qualis ubi hybernam Lyciam Xanthique fluenta
Deserit, ac Delum maternam inuisere gestit.
Musarum quam pone subit uenerabilis ordo,
Et laetae studio ardenti sua sacra frequentant,
Exercent aliae cytharas, et pollice fila
Intendunt, aliae numeris ad uerba uocatis
Ingeminant, sed cuncta regit uocalis Apollo.
Tum uero attonitos Faunosque ferasque uideres

Mirari, & lucis passim descendere nymphas,
Illæ autem læto resonabant auia cantu,
Respondent Syluæ, & placidi in conuallibus amnes.
Ventum erat ad ripas, uirides ubi Pregela campos
Perluit, & multo fessum se flumine defert,
Quando leues cantus dulcesque sub aure susurros
Miratus pater undisonis caput exerit antris,
Utque Deum uidit ripas & prata legentem,
Extemplo agresti uelatus arundine frontem
Obstantes dimouit aquas, ac talibus infit:
Ut te magne parens, ut te, comitesque Sorores
Accipio agnoscoque libens, quis tam mihi Diuos
Præsentes tulit? & tanto me numine dignum
Horrentes inter fluuios & frigora ponti?
Quod te per cœli iucundum lumen, & istos
Oro Summe Deum lustras quibus omnia uultus,
Seu quid terra latens, seu quid Styx ima tenebris
Occulit, hospitium ne dedigneris amicum,
Ni syluæ fuerint sors & mea rura pudori.
Qua amnis infidi muniuntur plurima Mosci

Infelix turba, & crudeli cognita bello,
Frigida qua canis horret Livonia campis,
Mosci belligerum gentis atque e stipite natum,
Illi inter Sylvas duxere exordia primum
Frigoreque arentes cautes: ah si quis amicas
Incolumes praestet tanto a discrimine Musas.
Dixit, & acceptos fluvio transmisit aperto,
Illi autem egressi tendebant limina templi,
Huc ubi contiguas fluctu lavat insula ripas.
Jamque adeo ingenti completa sedilia circo,
Et multi passim conferti ad templa ruebant,
Matres atque viri, studioque effusa iuventus.
Intrarunt summaque locum tenere sub arce,
At circum blando spirant unguenta odore,
Senserunt venisse Deum, stupefactaque corda
Presserunt, tum vox facilis imitata choreas
Auditur, lumenque oculis fulsisse repente
Aspiciunt, summique rubent laquearia tecti.
Interea princeps magna comitante caterva
Templum adventabat, quam protinus omnis euntem

Nobilitas ſtipat, proceresque ad dicta ſecuti.
Olli autem ſtudioſa cohors ſubit obuia longo
Agmine, ⁊ auguſta clarus grauitate Senatus,
Cuique ſacras artes ⁊ docta iuuamina profeſsi,
Et ſtudijs apti iuuenes, pariterque ſtupebant
Principis obtutu uultus, gauibusque ſalutant.
Tum Rector, cui ſumma uiro permiſsa poteſtas
Semeſtri imperium ſpacio credebat, ⁊ anno
Bis ſeptenis uno ſoliti ſuccedere faſces,
Conſtitit ante Ducem, uerbisque ita farier orſus:
Maxime nec meritis ulli ceſsure priorum
Dux Alberte, tuæ præſens fiducia gentis,
Hoſpita quod reduces coluerunt tecta Camenæ,
Nec turbatur adhuc bello placidiſsima rerum
Relligio, quod adhuc aras ⁊ templa tuemur,
Muneris omne tui eſt, tibi nos debebimus uni
Quicquid adhuc ſupereſt: ſatis hoc in principe laudis,
Non ſatis eſt uni tibi, tot benefacta tuliſse
In medium, ⁊ ueteres ſumptu inſtauraſse ruinas,

Quin urges ſuper, & tamen iam vincere certas,
Ieſſeades, ipſe tui gratiſſima feſta Lycæi,
Cuius es ipſe parens, cuius Nutricius ipſe,
Nobiſcum celebras, quamuis te ſerior annus
Cura premit, quamuis calidus tardante ſenecta
Sanguis hebet, frigentque effetæ in corpore vires.
Diue ſenex, equidem haud reor hæc ſine numine certo
Conſiteri, Deus hunc ardorem Regibus addit
Pacificas reparare artes, opibusque fouere.
Non illum nequicquam exercet cura ſuorum,
Et miſeris totius Eccleſiæ fracta periclis,
Ipſe illam veluti materna geſtat in aluo,
Infantemque parans fotā tegit inſuper ulnis,
Vſque grauem vita iam tum tardante ſenectam
Educat, vſque etiam ſparſos ad tempora canos,
Ceu criſtata ſuos, diſperſa examina, fœtus
Singultu volucris vocat ac plaudentibus alis
Sic illam fouet, errantem ſic cogit in unum.
Hanc placidi Reges, ſi fors ea cogat egeſtas,

Suſcipiant, hanc Reginæ paſcatis alumnam.
Te quoque ſtellantis voluit moderator Olympi
Hunc morem colere, ⁊ cætus nutrire beatos,
Idcirco in tantum ſeros tibi ſufficit annos,
Ne tua præſenti ſolum celebrentur ab ævo
Nomina, ſed vigeant ſub poſteritate futura.
Nam te non unquam nos defenſore feramus,
Eſt ubi, ſitque precor natus, qui fortibus auſis
Gaudeat, ⁊ patria nolit pietate relinqui.
Non tu illi rigidos violento marte Suecos,
Vincere committas, trepidosve ad prælia Slavos,
Et qui ſe raris oſtentat Vandalus armis,
Sed quas bellorum multo ſudore paraſti
Pacis opes colere, ⁊ Muſis præſtare quietem,
Et populum antiqua ſub relligione tueri.
Nunc ſi tantus amor ſtudiis adſurgere noſtris
Adſis, maiorumque inter vaga pondera rerum,
Hanc aliam interdum curis pius aſſere partem,
Et placidas quæ nunc ſuperant tutare Camœnas.
Dixerat, ⁊ paucis contra mitiſſimus Heros:

Haud me invitum equidem, Muſis cariſſima turba,
Hæc ad ſacra tuli, nec quidquam optabile uotis
Tam mihi contigerit, ſacro quam condita more
Relligio, ⁊ doctæ ſtudijs inſignibus artes.
Nec uero quiſquam nobis ſuperantibus auſit
Sacra movere loco, aut Muſas convellere templis,
Quin iterum Marti per tot diſcrimina iactam
Canitiem opponam, ⁊ vel primus fata paciſcar,
Non animos etiam pariter deficimus annis.
Nec potis eſt aliud certis maioribus unquam
Auſpicijs, nec laudes geri: modo qui mihi primus
Auctor erat faciendi, idem ulteriora ſecundat.
Nunc ite ⁊ cœptis pariter ſuccedite ſacris.
Sic ait, atque omnis læta iam prævia pubes
Agglomerant lætari circum, temploque ſubibant.
Ipſe regens baculo Senior veſtigia æterno
Ingreditur, magnoque illi veneratus amore
Aurea templa Deum, celſis ſeſe ædibus infert.
At circum procerum manus omnis, ⁊ omnis adibat
Nobilitas, longisque Ducem venerantur ab annis.
Olli cruda ætas, ⁊ dalerior e ſenecta

Genua labant, vastos quatit æger anhelitus artus,
Mirantur tamen ⁊ quondam præstantibus armis
Insignem, ⁊ magno immanem stupore ferentem,
Et quid si non dura premat genua ægra senectus?
Et vigor ille prior, stantesque in robore vires
Durarent solido? quid si flos ille maneret?
Qua solitus quondam Martem contendere contra?
Qualis ad Iliacos muros vel magnus Achilles
Palantes ageret Troas, vel quantus in Hæmo
Centauros inter ruerat Tirynthius heros.
Nunc effœta fluunt quondam acri brachia bello
Apta, tamen duris nondum domita senectus
Imperitat, seseque sua gravitate tuetur
Ac veluti lassas Leo mane cubilibus altis
Excussit cervice iubas, iam grandior ævo,
Iamque tremens artus, quem tota armenta sequuntur
Regem olim, non iam cursu, non unguibus idem,
Horrescunt tamen, ⁊ viridem meminere iuventam,
Ille ducem molis tantum gravitate gerit se,
Nec patitur campis alium regnare Leonem:
Talis erat Senior procerum stipatus acervo.

Protinus aurato resonant noua iubila templo,
Aureaque egregio trepidabant organa cantu,
Tum chorus in medio puerorum insigne canentum
Obloquitur numeros septem discrimine vocum,
Ingeminant calamique leues, clangorque tubarum,
Tum vulgus fremit assensu, tum concita pulsu
Templa sonant, reboat lætis clangoribus æther.
Iamque adeo gressum socijs comitantibus Heros
Intulerat templo, solitaque in sede locarat,
Quam iuxta proceres, ⁊ quos insignis auorum
Nobilitas amplis decorat spectata trophæis,
Gaudebant pompam pariter celebrare frequentes,
Tutarique locum Musarum, animisque fauere.
Parte alia quibus est commissi cura Lycæi
Consedere loco, gradibus longo ordine fixis.
In primis tantam certo moderamine molem
Qui regit impositam, ⁊ summæ pietatis honorem
Nomine tutatur, doctique assessa Senatus,
Cuique pari admissas sortitur pectore curas
Dexteritate pari, certa sub lege Decanus,
Tum qui præstantum clarissimus ordo virorum

Conſequitur, quos nunc doctrina inſignis ab omni
Selegit numero, quorum prudentia preſto eſt,
Seu quid conſilijs, ſeu quid foret arte gerendum,
Omnes ingenij, præſtantes laudibus omnes.
Conſurgit cœtu in medio qui præſidet aris
Antiſtes templi, inſignis pietateque fideque,
Quæque ſit inceptis ratio, quid deinde gerendum
Commemorat, ſiluere omnes atque ora tenebant,
Ille autem meditatur, ⁊ hæc ſe in verba reſoluit:

Vera Dei ſi cui conceſſa ſcientia, veræ
Relligionis amor, res eſt quæ maxima nobis
Exoptanda homini, & toto impete veſtiganda.
Altera non minor eſt, ſed eget maioribus auſis,
Non premere acceptam, ⁊ late vulgare per orbem
Æthere prognatum, ⁊ magno dare ſemina cœlo.
His animis noſtri clementia principis ultrò
Aſſidet, ac placidas veneratur numen ad aras,
Et grates agit, ut cœlo ſe læta tuliſſet
Sacrorum facies, ut præſens gratia diuum,
Gratia quæ noſtris utinam ſit propria terris,

Et noſtro diuturna Duci, qui tempore longo
Haud aliud cœptis potius contendat, ⁊ unum
Hoc agitet, dum uita, reget dum ſpiritus artus.
Quum etiam præfata Ducis clementia noſtri,
Vt bene diuinos potuit cognoſcere ritus,
Obrutaque antiquum cœperunt ſacra nitorem,
Ne prius in tenebris nequicquam exempta iacerent,
Templa Deum purgata dedit, dedit oblita fœdo
Numina caſta ſitu ſolido ſplendeſcere cultu.
Tunc immunda lues, tunc nugæ, ⁊ dedita terris
Vana ſuperſtitio, uana de gente Deorum
bibaces
Diruta, quæ monachi delirantes ferentes,
Tunc uerum ſacris tulimus, Dijs gratia, morem.
At uacuas quandoque aras, ⁊ inania templa
Nequicquam colimus, ſi non ⁊ cura ſcholarum
Erudiat doctas pulchris cum moribus artes,
Hoc quoque ſollicita uoluebat mente parandum,
Et Muſis noſtra ſacrauit in urbe Lycæum,
Quo ſumptu eductum, ⁊ quanta quis neſcit opum ui?
Haud temere, ⁊ multo minor ipſe peregerat anno
Oſ

Consilio, pietas cui protinus alma fauebat
Incepto, ⁊ mentem crebris hortatibus auxit.
Addidit ergo nouæ, maiorum exempla secutus
Iura Scholæ bonus, ⁊ priuatæ munia legis,
Haud alijs æque memoranda insignia, ne quid
Forsan inexpertum cœpta ad laudata relinquat,
Regius eximium Musis fauor augeat honorem,
O uere Augusti, ⁊ duplici cognomine digni.
Omnia quæ iam nunc adytis reposita sacratis,
Æternumque Scholæ sacrata pijssimus offert.
Atque hæc ut toto eueniant felicia cœlo
Vota facit, Diuumque pater uelit hæc sua laudi
Facta manere, nec incassum tot ferre labores,
Hosque sibi cœtus, atque hæc sibi propria templa
Eligat hospitio; nec unius, quando undique totis
Turbatur terris, permittat cuncta ruinæ.
Hoc agite hoc uotis ardentibus, hoc prece summa
Exigite, his superum curis reuerentia gaudet.
At non in præsens precibus solum ista pacisci
Sufficiat, nunquam cessandum in uot[illegible] nec ullum

Est aliud magis, aut timido magis ore tacendum.
Torquerat hæc olim crescentum cura iuventam,
Et minores isto præstant se more nepotes:
An dubium cuiquam, magna si percitus ira
Æthereus Genitor, ⁊ nostris conscius olim
Criminibus, quæ vix superant bona semina Verbi,
Auferat, ingratosque premat caligine rerum,
Quanta per has, mitto illa prius discrimina, terras
Tempestas reditura ferat? quàm mobilis error?
Et non pellendæ rediviva lucis tenebræ?
Cum iisdem populi pereant ⁊ regna ruinis.
Ut non immerito placatum numen adoret
Cuilibet, utque alijs iam tetra incendia terris
Excita, contiguumque malum, pœnasque sequentes
Supplicibus moto redimamus numine votis.
At quæ cura Ducis nostri, quid tendere porrò
Consilijs velit, ⁊ quæ spes sit cætera rebus,
Post ubi quæ fuerint data privilegia coràm
Edita sint, mox ipse iubens haud vana monebit.
Dixere; ⁊ læti cæptis uno ore fauebant.

Tum memoranda Scholæ longe ⁊ Regalia ſcripto
Iura recenſentur, conferto audita theatro,
Et quibus illa Ducum obſequijs decorata fruatur,
Qua ſe lege ferat, iuuenum quo iure magiſtri,
Quoque modo ſtudijs agitur lætata iuuentus.
Cæſaris inprimis Friderici ſancito dudum
Condita firmatur, Diuus quo more Scholares
Extulerit, leges præſertim ⁊ iura profeſſos,
Quæ loca cunque patant ſtudio, quaſcunq per oras
Ocia perquirant doctis ſacrata Camænis,
Reſque ferant tuti, ⁊ quouis lare tuta reponant,
Et quicunque comes fuerit, qui nuncius ipſis.
Digna quidem magni magnos quæ Cæſaris almi
Cura animos habeat, qui quoslibet æqua merentes
Proſequitur ſtudio, patriumq extendit amorem,
Hos etiam, quorum præclara ſcientia lucem
Pandit, ⁊ obſcura ſoluit caligine mundum,
Quique Deo, Diuisque ſuos parere miniſtris
Subiectos doceant, formentque ignobile uulgus,
Hos etiam illuſtri uelit inſignire fauore,

Et sacra meritis sub maiestate tueri.
Ecquis enim ingenitum duro sub pectore ferrum
Occulit, ut sortem non sit miseratus iniquam?
Cum ducti studijs, ⁊ magnae laudis amore,
Dulce solum patriae ⁊ charos linquere penates,
Non illi patrios uariti contaminere census,
Exilijs acti longè, duramque uolentes
Degere pauperiem, tenui neque parcere uictu,
Et uitae quandoque etiam discrimina passi,
(Indignum) ⁊ uili expositi ludibria uulgo,
Haud merito perferre suo, nec talibus ausis.
Ergo adeò aeternam Caesar decernere legem
Dignatur, iussitque suo consistere nutu,
Ne quis Musarum dulces infestat alumnos,
Aut forte alterius uectat discrimina culpae.
At si quis temerare ausus caelestia iussa,
Aut, quibus hoc instat, cessent in tristia legum
Supplicia, haud ideo fraudem sperarit inultam,
Quum raptum luat, atq infami nomine adactus
Non ullis aeternum ualiat censendus honore.

Sed ſi cui merito quiſquam proponere litem
Audeat, illorum quibus eſt ea cura Magiſtros
Poſtulat arbitrio, aut ſi malint ferre Lycei
Rectorem, cuius proprium has cognoſcere partes.
Quod ſi quiſquam alio cogat ſub iudice cauſam
Dicere, quantumuis meliori iure patiſſat,
Ne ius ſit cuiquam tanti, quin excidat auſis.
Hæc ⁊ plura pius, nec enim comprendere refert
Verſibus, addebat princeps immunia iura,
Æternam dotem, ⁊ noſtri decora alta Lycei.
Tum promiſſa iubens mandata edicere primum
Conuentu in medio ⁊ pompæ ſolennibus actis
Delegat, iuſſu quo Cancellarius infit,
Vir genere eximius, tituloque inſignis auorum
Gentili, quibus alta Crucis cognomina famam
Sparſerunt terris, quo non præſtantior alter
Eloquijs habitus fuit, isque ea deinde profatur:
    Accipite ergo animis atque hæc mea figite dicta,
Quæ uobis mandata Ducis præſentia noſtri
Edico, præſens uobis edicit et ipſe.

Namque illi extemplo fuit hoc ante omnia cordi
(Rem nulli obscuram nostrae neque uocis egentem
Asserimus) quamprimum illi pater almus habenas
Annuit imperij, sacrorum attendere ritum,
Et uerae pietatis opus, tum commoda pacis
Publica firmari, legesque et iura tueri.
Haec illi incubuit longos iam cura per annos,
Feruet idem senio studium, modo tempora uitae
Sufficiat superum Rector, quo postera pubes
Expectata Duci deberent secula nostro,
Successorque puer, magni spes altera patris,
Exciperet sero imperium, uel pace uel armis
Munitum patrijs, patriae uestigia curae
Insistens, quae longe olim felicia regna
Maiori auspicio natis transmittat habenda,
Et natis natorum, et qui nascentur ab illis,
Sic patris antiquam uirtutem, animosque uiriles
Impleat exemplo, nec auorum cedat honori.
Hinc animos porro subijt, nec regna decanti

Constatura loco, nec res subsistere tutas,
Ni deducta forent a claris semina Musis,
Vnde aptos legerat, seu quos ex agmine docto
Præfecerat sacris, seu quis res publica curæ.
At cum nostra foret studijs incognita tellus,
Gens assueta malo, ⁊ gelidæ vicinior Arcto,
Ille viros alijs alios eduxit ab oris
Artibus insignes, ⁊ multa laude decoros,
Qui mores hominum agrestes, immania corda
Formarant studijs, atque in meliora vocarent,
Adiunxit Musis ædem hanc, ⁊ nobile templum,
Quicquid opum, scripto præsenti, quicquid honorum,
Indulsit legesque dedit, tum libera iura
Condidit, ⁊ multa arte viros ⁊ moribus æquis
Præfecit, quorum iuvenes mandata facessant,
Ingenuas artes ⁊ honesta exempla secuti.
Nec frustra impendisse operam præstantibus annis
Lætatur, multosque illo se fonte tulisse
Artibus eximijs, quorum sapientia nostro

Conſtitit imperio, multos exiſſe per oras
Externas, quibus ingentes ſe ducere Reges
Iactarent animos, uenit hinc ea gloria nobis,
Et ſenſere Ducum præſentia numina Muſæ.
Hoc equidem gaudens Dux inclytus omnibus inſtat
Poſcendum uotis, hoc ut ſub nomine perſtent,
Et Clarios auſint Diuæ contemnere colles,
Nec duris potius iactet ſe Pruſſia bellis,
Quam Phœbo, & Muſis, & fontibus Hippocrenes.
Quoque magis patrium nobis teſtetur amorem,
Quando ſcholas alias alio pro tempore Reges
Dotarunt, aut prima dedêre exordia ludis,
Suaſit Sarmatico collata immunia Regi
Augere, auctoremque pijs ſeſe addere cœptis.
Vtque boni faciant noſtri conamina ciues
Principis, & ſacris lætentur ritè repertis,
Atque eadem exoptant uotis, et maxima porrò
Floreat inſigni Doctorum Academia cœtu,
Haud potis eſt aliud contingere gratius unquam.
Huc ad[illegible]at natos teneris elementa ſub annis

Vnde petant alacres studio, & celestia missa
Mentibus assurgat, unde ipsi attollere nomen,
Vnde sui possint olim gaudere parentes.
Ipsi autem inprimis quibus est data cura Lycaei,
Moribus ut reliquos praeeunt insignibus, atque
Ingenium doctas caput excolere per artes,
Sic plus quam reliqui delatum munus, & almi
Principis obsequium grata cum mente sequantur,
Hoc studio unanimes referant, hoc viribus unum
Testantur, non haec nequicquam insignia quondam
Conciliata Scholae, sic diui semina uerbi
Fundant, sic teneram properant formare iuuentam.
Hoc quoque uos iterum dictis iterumque moneo,
Quamuis haud monitis opus, & quod quisque tulissent
Pro se sponte sua, impositum deducere munus
Partibus, atque statas aduertere grauiter horas,
Ne iuuenes studijs nequicquam ignobilis ocij
Detenti, haud dignas faciant pro sumptibus artes
Et pueris damno forsan sit culpa docentum.

Hoc Rectoris erit uigiles extendere curas,
Vt faciles primum exhibeant diſcenda magiſtri,
Et facilis iuuenum non pugnet turba doceri,
In teneris ſtudii, Muſarum nunc peroſi
Delicias, ſegnes animos in lubrica mittant
Obſequia, ⁊ mentem rapiat maleſuada libido,
Aut turpem uitam, aut triſtes adamare tumultus,
Indigni quibus illa Ducis clementia proſit.
Exigat hic pœnas omnes, hic triſtia furto
Supplicia, ⁊ ſi quæ nimium nocuere recidat,
Dum nouus eſt ignis, dum nondum robora ſumpſit.
Vos iuuenes porro Muſarum prima uoluptas
Vos etiam patrijs compellat uocibus ultro
Dux pius, hæc decuit iam uos ad dicta moueri.
Ne pueri ne praua animis aſſueſcite facta,
Vſque adeo memores factis quid triſtibus inſtet,
Quæ tam ſollicitos permouit cura parentes,
Et quando hic patrijs alio uenistis ab oris,
Non dubium tantæ quin uos pietatis imago.
Admoneat faciles conferre docentibus aures,

Et qui legitimo in partes de more uocati
Imperium exercent, Deus haec Deus oīa mandat.
Ergo agite & praui penitus commercia uulgi
Effugite, & studijs uosmet seruate secundis,
Nec uos luxuries, non caeca audacia ~~ullo~~ nisu
Permoueat recto quoquam discedere passu,
Et tenue imperium male detrectare ferendo.
At uos hortamur triplicis capita alta Senatus,
Quique Ducis nostri Ciues ditione manetis,
Vobiscum teneras iam nunc seruate Camaenas,
Quae res cunque ferat, uestrum est commune periclum,
Inque pios uiuantes animos conferte quietos,
Principis hoc almi studium est sancta uoluntas,
Hunc bene promeritum referat laetatus amorem.
Nec nescitis enim quanto ferat ille fauore
Musarum ingenium, quanto munimine septum
Efferat obsequio, haud unquam passurus inultum
Contemni, & tantum numinis moueat ordine nemo.
Nec uero talem uobis tam barbara uiram

Permittat patria, hospitio prohibere Camænas,
Et patrio insontes regno depellere Musas,
Non fuerint urbi indecores, nec fontis alumnos
Castalij quondam gremio excepisse pigebit.
Nec nos tam duri quanquam sperabimus oris,
Principis incassum qui rumpere iura uetantis
Pronus inexpertam nunc demum suscitat iram.
Si qua sit, ut uaria rerum uice uertitur ordo,
Obuia quæ fixam turbat discordia pacem,
Sic tamen unanimes rem composuisse iuuabit,
Non fors eximius Ductor, non Regia fructum
Maiestas doleat tantarum perdere rerum,
Ne quis insonti uim tendat & ocia rumpat.
Quin potius sacrum uenerari discite numen
Musarum, nemorisque Deas, cinctasque Lycæi
Accipite hospitijs, mensisque adhibete uolentes,
Non qui sectati Musas per dura uiarum
Optarunt alio patriam sub sole iacentem,
Diuersosque, agrosque excludite uultu,

Illi dira ferant vicinum facta per orbem,
Et noſtrum magno nomen culpabitur ore,
Vos autem pœnæ memores prædiſcite diuos.
At ſi quiſque ſuis incumbat partibus ultrò,
Vnanimemque habitant Muſæ cum ciuibus urbem,
Haud dubium, noſtris faueant modò numina rebus,
Cum hæc ante ſcholas alias caput exerat altum,
Vtilis ipſa Deum ſacris, ipſa utilis Vrbi.
Tum pius æternum Muſis Dux ſpondet honorem,
Æternumque ſui meritum, generoſaque proles
Augeat idem, ⁊ patrij partem puer impleat amoris,
Sic grata uice, ſic animis utrumque paratis
Accipimus. Vos ne quæcunque benefacta piorum
Temnite, ſucceſſumque Deos expoſcite uotis.
Finierat, claroque aſſenſu turba fremebant.
At Rector, quoniam eſt alijs cura omnis in illo,
Doctus, ⁊ auguſta grauior uirtute Senatus,
Cenſebant grates agere, ⁊ memorabile factum
Principis Alberti meritæ committere famæ,

Tum procerum turbam, ⁊ clarorum grata virorum
Obſequia, ⁊ certum Muſis laudare fauentem.
Nec mora procedit, qui præſtantiſſimus unus
Ingenio fuit, ⁊ Latio ſic rettulit ore:
Si quis adhuc dubitat tamen illuſtriſſime Princeps,
Anne et relligio Diuum, ⁊ tutela Scholarum
Principis officia uariant, cauſasue requirit
Quid tantum huic uni iuuat indulgere labori
Magnanimos Reges, qui templis ſacra tuentur,
Hac potuit certe tam diuite diſcere pompa,
Et quæ præſtantum ſunt addita dicta virorum,
Et quæ Sarmaticis data priuilegia Muſis,
Credo equidem ignaro potuit ſuccurrere uulgo,
Ecquid in hæc uariant nequicquam munera Reges.
Et quis uirtutem, ⁊ quis non tua maxima facta
Miratur, Dux Marchiadum fortiſſime gentis?
Tam adeo inſuetum toties toleraſſe laborem?
Et tot iampridem ſumptum feciſſe per annos?
Quo ſchola noſtra ſuo fretam ſe iure tueatur

Munere lęta tuo, tot iam ipsa insignibus aucta
Egregijs: etiam hoc clamans super omnibus addis,
Hęc tecum renoues ut clara ad numina Regem,
Regem cui duris laudata Polonia rebus,
Cui Litaui, cui gens Russi contermina Ponto,
Cui longo parent defessi marte Borussi,
Massagetęque uncis arcu bellare uerutis.
Ille tuo instinctu leges ⁊ iura rogatus,
Hac procerum turba, ⁊ doctorum stante corona
Detulit, hunc, ⁊ sponte sua laturus honorem,
Qualis regali florens Academia signo
Gaudet, ubi antiquo sunt condita mœnia Cracho,
Et Musas uitreis audit pater Istula in undis.
Pro quibus unanimi studio consurgere Senatum –
Aspicis, ⁊ grates agere, ⁊ præconia laudi
Dicere digna tuæ, sed enim me pro omnibus unum
Constituere, ipsi iam eadem taciti usque precantur,
Orantem ueniam, ⁊ grata te mente fi[illegible]antem.
Ergo pijs primum ueneramur n[illegible]e uotis

Pro duce magnanimo, pro tam conamine sancto,
Et patrem, ⁊ patris genitum de pectore natum,
Numine quique pari numen commune duobus
Procedit, communis amor, longeque precantes
Prosequimur summum summæ bonitatis amorem.
Qui lucem de luce sua, venerabile donum,
Humano generi cognatas prodidit artes,
Æternam reserans legem, divinaque iussa,
Vt data pacificis ornet commercia Musis,
Hospitiumque suum, ⁊ sedes conservat amatas.
Quasque pios inter cætus tua contulit artes,
Collatas eadem clementia servet easdem,
Vt tua perpetuum superent monumenta per ævum.
Proxima cura subit magni benefacta referre
Regis, ⁊ antiquis titulos imponere gestis.
Sed quis per tantas ausit describere versus
Augustum decus? et dictis comprendere tantum
Non opis est nostræ, nec paucis creditur horis.
Tu pie Rex, ⁊ vos proceres estote rogati,
Si quando aspectu tulerit se Regia vobis

Maiestas, ⁊ fandi una concessa potestas,
Nos ponimus studij quæ sint conamina nostri
Exigere, ⁊ Regum pueros narrare canentes,
Quantaque apud memores natoris stet gratia facti.
Nec uero titulos alios, aut plurima famæ
Nomina laudando ingredimur, haud tenuia dictu,
Ipsa sibi sed enim laus est certissima Virtus
Regia, ⁊ æternis decus indelebile seclis.
Permanet, æternumque Academia nostra loquetur,
Quam modo Regali meritis æquare Lyceo
Dignatur, quod solum ipsis memorabile Musis
Sarmaticis fama longum uiuet uiuit in oris.
Illam autem iam tum, si annalibus eruta priscis
Vera ferunt, primum Phœbo Casimirus habendam
Ante quater denis decursa exordia lustris
Tradidit, ⁊ magnum misit per secula nomen.
Non ideo eximia tulerit se laude priorum.
Sarmaticis Musas qui primum aduexerit oris,
Quam pariter Prussis qui non inuidit honorem.

At tibi quas grates referam mitissime princeps?
Quo meritum ore, quibus cælo te laudibus æquem?
Et tua iam longè pater ô clementia longè
Has superat vires, quia nec tibi gloria primum
Tanta fuit cordi, nec te noua cura subegit.
Tollitur exemplis ijsdem celebrata vetustas.
Nam post diuinæ primum data fœdera legis
Conuentus hominum celebri Synagoga parati
Compulit, hinc teneram studijs adhibere iuuentam,
Acceptasque Deo transmittere gentibus artes
Mos erat, inde alij placitas attendere Musas
Aggressi, sacris tum verò Ægyptia tellus
Dedita, tum Graiæ primum cæpêre Camænæ
Artibus eximijs attolli, ⁊ maxima porrò
Itala æternum studijs operata theatrum,
Pierides donec Romam ⁊ Tyberina fluenta,
Et nemus Albuneæ coluere, atque Itala rura.
Inde Theodosio sublata Bononia Regi,
Illa quidem mater studiorum ⁊ sedula nutrix

Longè iam ante alias doctum caput extulit urbes
Insignis multa arte virum, bis secula quinque
Vivendo superat, longis iam augustior annis.
Nunc etiam toto divisos orbe Britannos
Fama est Oxonij positam sub mœnibus altis
Restaurare domum studijs, Sigibertus alumnas
Qua primum Latias retulit, cum tempore eodem
Carolus antiquis non dedignandus avorum
Nominibus, qui primum aggressus Teutona regna
In Latium proferre solum, tecta hospita Musis
Lutetijs Papiaque dedit, tum denique victor
Gallorum, ⁊ positis tum demum invictus ab armis.
Quid modò litterai sanctissima Coppennagi
Hospitia? ⁊ Danos inter cantare feroces
Pieridum turbam, ⁊ Phœbææ munera Cyrrhæ?
Quidque alias referam, quarum Regesque Ducesque
Auctores sunt eos partas victricibus armis
Ingenuis su[illegible]luit studijs adiungere laurus.
Hoc verò nec te permotum laudibus istis

Crediderim penitus, Regumque exempla secutum.
Sed tibi iussa Deûm, regnique volubile pondus,
Sed tibi certus amor patriæ, sed cura piorum,
Venturique olim nunc post tua fata nepotes,
Hoc suasere decus, doctas inferre Camœnas,
Et laudem hanc titulis etiam annumerare repertis.
Et quid nos tantum virtutem, immensaque facta,
Efferimus dictis? eadem omnis dicere pubes
Nobilium, civesque tui memorare laborant,
Vicinique fremunt populi patriæque parentem
Exoptant generi quondam laudare futuro,
Quæ pietas, ⁊ quanta Ducis clementia, quantum
Attollat studijs animos, quæ cura sacrorum,
Ut casta maneant in relligione minores,
Securique suo gauderent principe cives.
Te quoque te generose puer conferre paternis
Laudibus, ⁊ magna apponi pietate secundum
Fas fuerit, tanto o soboles dignissima patre,
Prospicimus siquidem iam nunc crescentibus annis

Accipimus Musis, gratantique ore fauemus.
Nunc animis puer alme tui fiducia surgit,
Et genus antiquum, patrisque in nomen iturum
Ingenitum decus, ut iam animum curasque viriles
Concipis ante annos, patriumque assuescis honorem.
Inde tibi venerande parens, quo præside sacra
Tractantur, gratæ testamur munera mentis.
Tum vos o proceres, & te fortissima bello
Nobilitas, venisse una gratamur ovantes.
Vos etiam qui nunc, sanguis generose Barones,
Nobiscum teneras assuescitis ire per artes,
Et vos præfecti rerum, comitesque sacrati
Principis, & cives, & triplicis Ordo senatus,
Omnes magnificis attollere laudibus, omnes
Pro meritis grato venerari nomine fas est,
Vestra quod huic decori fuerit præsentia pompæ.
At quoniam vasti rerum nunc turbinis instar
Multa modis versant mundum discrimina miris,
Et pia concilia, & docti collegia cœtus

Tartari insidijs vexantur Regis ⁊ arte,
Non o non fragili clementia vestra Lyceo
Abstiterit generose parens, generosa parentis
Dumque suæ prolis, hæc incrementa Scholarum
Conservate pij, ⁊ tutelæ admittite vestræ,
Hoc gaudet merito Deus, ⁊ sic itur ad astra,
Hoc pia perpetuum durabunt facta tropheo.
Quod superest, quando egregijs hortamina dictis
Addita, quo prompti officijs se quisque tuerant
In statione sua, quisque in commune laborent,
Et iuvenes faciant studio, virtutumque magistri,
Novimus haud monitis nequicquam egisse paternis,
Quamquam adeo multa in peius se versa tulere,
Multaque continuo sese impendentibus offert
Tempestas, nec frustra olim laudata vetustas
Iniicit frenos animis ⁊ vincla domandis,
Semper enim iuvenes levis inconstantia versat,
Unde prius invitisque penatibus, ædibus unis,
Contigua habuere domos: si quid tamen horum
Vel studijs vel opum nixu, quarum indiget usus,

Confieri melius poſsit, non ulla laborum
Commoueat fœlix, unus quum omnia ſponte
Hæc animet, atq uſq animus ſubeamus iniquis.
Utque ſecundarent Dij cœpta, boniſque fauerant
Omnibus, tum uerba precum, tum caſta fuere
Vota ferenda patri magno, natoque potenti,
Et quod diuina non enarrabile numen
Mente fluit, tres tergemino Deus unus honore,
Incolumem ſeruet nobis in longa ſenectam
Subſidia, atque diu veſtigia magna parentis
Filius inſiſtat gaudens, ut tempore longo
Floreat auſpicijs Academia noſtra ſub ijſdem.

Sic dictis ait, ⁊ finem dedit ore loquendi.

Tunc geminis iterum reſonant concentibus intus
Tecta Deûm, plauſiſque fremunt vaga tympana palmis,
Tibiaque, ⁊ cantu conſpirant cornua rauco.
Accinit inde chorus puerûm, miſtæque puellæ,
Aſſurgique cana ingeminant teſtudine templi
Plaudentum ſtrepitus, uocemq per alta inſultant

Atria, concussam bacchatur fama per urbem.
At bonus irriguis exultat Pregela campis,
Et sibi littorea prætexit fronde coronam.
Et iam finis erat, conventu exinde soluto,
Cum pater arcitenens oculis haud ante videndus
Se tulit, atque Duci manifesta in luce refulsit,
Qualis cælicolis solitus quantusque videri,
Maiestate Deum fassus, cœpitque profari:
Macte tua virtute, meis clarissime princeps
Auspicijs, nec tu studiorum desere causam,
Atque aliquam ex istis laudem sperare memento.
Non tua delituet virtus recondita, nec unquam
Fama senescenti tecum morietur in ævo,
Has donec sedes Musarum nobilis ordo
Accolet, ac donec duplici vagus Istula tractu
Frigida in Arctoum distendet brachia pontum.
Tunc quoque cum cælo cupiens natura relinqui,
Atque isti vitæ exosum te corpore solvat,
Non tua marmoreo virtus sit clausa sepulcro,
Nec vel[illegible] obscuris usquam latitare tenebris,

Quin ſtupefacta virum libeat volitare per ora,
Ignotumque olim populis tranſmittere nomen.
Eſt procul ad Lunæ regna inferiora ſub auras
Templum auguſtum, ingens, illic præſepia Phœbes,
Alipedumque loco ſtabulat vis inclyta equorum,
Hic nemus Elyſium, hic & fortunata locorum,
Et tepidi ſoles, & ſpirat mollius æther.
Huc ſe, defeſſos cum vita reliquerit artus,
Magnanimi referunt Reges, Regumque ſecuti
Facta Duces, quicunque Deos coluere verendo,
Et quondam inſignes meritis fecere Camœnas,
Plurimaque ob patriam pugnando vulnera paſſi,
Illorum ſed maior honos, hic omnia duro
Conduntur chalybe, longosque feruntur in annos,
Marmore perpetuo, & ſolido contexta adamante.
Hic tua ſublegi rutilanti inſcripta metallo
Nomina, & ille memor tacite mecum ipſe notavi,
Hic aderis, ſignando dies volvenda propinqua,
Et referes famam, & [illegible] mirabere tantum.

At tibi ne laudis ueniat tam dira cupido,
Vt properes adeò uentura incumbere uitæ,
Hic cælum remorator adhuc, atq æthera serus
Hinc adeas tecum proles generosa superstes
Præsidio superet studijs, tua maxima facta
Appetat, & primis iam nunc imitetur ab annis,
Et mentem patriæ stringat pietatis imago:
Fortunati ambo, si quid modo carmina possunt,
Nulla dies unquam memori uos eximet æuo.

Dixit, & in tenuem ex oculis euanuit auram,
Et sublime uolans Cynthum, collesque petiuit
Lauriferos, ubi templum illi, centumque Sabæo
Thure calent aræ, sertisque recentibus halant.
At Musæ iussere sacrum me pangere carmen,
Et longum monumenta sui superesse per æuum.

Finis Panegyrici
carminis.

M. Casparis Schut
zij Isleuiensis
Prussia
Ad Albertum Frideri
cum iuniorem Prussiæ
Ducem.

Si te Diue puer patrios cognoscere fines,
Aruaque Sarmaticis coniuncta Borussica terris,
Antiquosque iuuat penitus lustrare colonos,
Huc ades, ⁊ uiridi mecum requiesce sub umbra,
Paulisper, dum sylua comam nutantibus auris
Fundit, auetque noui uariante aestate flores,
Inuitant placido geniales flamine uenti,
Nunc uirides circum ripas & flumina Nymphæ

Serta legunt, capitique rosas decora alta ~~[illegible]~~ coruscant.
Non ego te nugis, non hic te carmine ficto
Aggrediar, ueterumue canam mendacia uatum,
Sed regnum populosque tuos, antiqua locorum
Quæ facis, et quæ patrijs primordia terris.
Nec mihi Pierides totumque Helicona mouere
In cantum est animus, modo tu mitissime princeps
Ambiguos facili uultu mihi dirige cursus,
Dum prius ignotas peragro mente aduena terras.
Prussia Germanæ colitur pars ultima gentis
Ad latus Arctoum mundi, quo Baltica pontum
Littora protendunt, medijs ubi fluctibus inter
Terrarum tractus geminos secat Amphitrite,
Atque a Teutonicis disterminat arua Gothorum.
At matutinos solis surgentis Alani
Transmittunt radios, et qua Lituania syluis
Fertilis assurgit: medio sub cardine lati
Massagetæ campos habitant, agilesque Poloni.
Ad Zephyrum uero desertam limite claudit
Istula Sarmaticis amnis bene notus in oris,
Vicinaque solo sese Pomerania iungit.

Has olim terras sedes ⁊ pinguia rura
Hulmigeri tenuere, uirum antiquissima proles,
Nunc quoque qui campos circumsedere uirentes
Mollis ubi clemens fluuio lauat Isula ripas,
Et Trebanissi amnem salum rapit, ⁊ rapit Ossam,
Culmigeri patriam testantur nominis stirpam,
Addita principio si litera mutet hiatum.
Rupibus e duris duxere exordia primum,
Iusticia se sponte sua, non lege tenentes,
Frigoraque assueti nec tecta nec oppida norant,
Tantum inter syluas soliti ⁊ spelaea ferarum,
Sicubi fagineam patulum nemus iret in umbram,
Degere, ⁊ ignotos uenatum scandere saltus.
Pars uirides torta texebat arundine postes,
Quis tolerare hyemem ⁊ brumalis frigora Cauri
Audebant, totosque focis aduoluere montes.
Mos uictu facilis, nec enim Bacchaia dona,
Nec Cererem uersis discebant frangere saxis,
Flumina per uiridas potabant acta lapillos,
Addebant mensis glandes pinguemque farinam
Et uacuum placido nonnunquam ex aequore piscem

Ille vicem Cereris decoctus Sole ministrat.
Vestiti hirsutas pelles, setasque comantes,
Aut compacta luto velabat arundine palla.
Commistos habuere thoros, nec iura putabant
Sanguinis, ⁊ quavis ducebant coniuge prolem.
Quin etiam superosque suos sua numina saepe
Iactabant, caelum stellis fulgentibus aptum,
Umbrarumque decus Lunam, Solemque micantem.
His illi sedere locis, ignotaque tellus
Nominaque incerto paucis habitata, nec ante
Vidit inaccessos appulsus navita campos,
Quam procul a Scythiae regno, ⁊ Maeotidis unda,
(Qua modicum Tanais Riphaeo vertice lapsus
Imposuit ripis diversi nomina mundi,
Europaeque Asiaeque unus confinia scindit)
Finibus extremis populi venere profecti,
Exustique nive, ⁊ Boreae infelicibus auris
Quaesierunt patriam, melioraq; fata secuti
Hic leges dominum, ⁊ veteres migrare colonos
Iusserunt, precio aut armis, exinde Borussi.

Iuuantam dixêre Ducis de nomine terram,
Pruſsia quæ iam nunc cognata uocabula ſeruat.
Hi uictū meliore famam tolerare docebant,
Sectarique feras, meditari ratia ceruis,
Piſcibus in ripa ſuſpendere fluminis eſcam,
Incautasque lami uolucres deprendere uiſco.
Atque aliquis lato fundam iactabat in amni
Alta ſecans, pelagoque alius lina uda trahebat,
Interdum curuis moliti iugera raſtris
Semina condebant ſulcis, ⁊ frigore ſeuo
Immatura ſeges uiridi pendebat ariſta,
Hinc panem ſoliti torrere, ⁊ miſta lupino
Dona piæ Cereris menſis inferre paratis,
Ilice uel ſumma mellis cœleſtia dona
Colligere, ⁊ dulces cyathis haurire liquores.
Neſcia gens fidei noſtræ, gentilia ſolum
Numina complectens, Stygijs quibus edita lucis
Dira ſuperſtitio, furiæque, ⁊ Dæmonis aræ,
Et magici cantus cordi, ⁊ feralia ſacra.
Illi etiam ualidis claudebant mœnibus urbes,

Et Reges solio statuere, ducesque minores
Qui bella, ⁊ lituos, ⁊ prælia dura docerent.
Hinc male vagatos prædam vectare per agros
Assueti, dura vicinos lege premebant.
Hinc primæ scelerum causæ, belliquè potestas
Præbita finitimis, totisque ad vulnera ventum
Viribus, ac sævi tentata pericula Martis.
Massagetæ ante alios movere in prælia turmas,
Succincti talo suras, ⁊ pelle lupina,
Post illos faciles animosa ad bella Poloni
Ducunt Cracovia lectas ex urbe cohortes,
Assuetique malo Litavi, Russique rebelles,
Et Samogitanæ durus venit accola terræ,
Istula quot populos ripis, quot Pregela nutrit,
Quot Bogus stagno similis, quot Narvus, ⁊ ingens
Mimmela, ⁊ Arctoi duplex maris accola Duna.
Non illis clypei, capitis neque tegmina curæ,
Hastili pugnant longo, sudibusque præustis,
Armati gladijs pauci, teretive sarissa.
Talis Sarmaticis Legio consederat agris.

At non armiferi cessabat cura Vidonis,
Sic patrio Regem dicebant more Borussi,
In tanta rerum turba, nec enim ante quieuit,
Internas quàm sponte sua combustus ad aras,
Imperium simulans Diuum, ⁊ furialia sacra,
Excivit populos animis, vimque addidit iræ,
Regis ut amissi uindictam sponte pararent.
Tum gnatum alloquitur dictis, ac talia mandat:
Nate vides cunctas exciri ad prælia gentes,
Quæ patriæ fines circum ⁊ latera omnia claudunt,
Nos dominos rerum ⁊ stirpem delere Borussam.
At mihi tarda gelu atq annis defuncta senectus
Obsita canentem sparsit per tempora syluam,
Tu iuuenis, tibi fas nostris succedere sceptris.
Ergo age quid tacitis iamdudum pectore uersem
Accipe consilijs, atque hæc mea dicta reconde.
Ignauam uitam ⁊ regni nullius egentem
Exuere est animus, mortemque addicere sacris,
Ut superos coràm cælesti in culmine agentes
Alloquar, ⁊ nostris possim suffragia rebus

Successusque noui Martis, finemque laborum.
Tu cum iusta patri solenni condita pompa
Solueris, ⁊ gelidas nequicquam clauseris urnas,
Aude animis bello, ⁊ fortunæ cætera manda,
Non abero rediens, nec spes te fallet inanis.
Dixerat hæc, rebusque modum secum ipse putabat.
Quercus erat medio syluæ sacrata recessu,
Relligione patrum multos seruata per annos
Densa comam, nullis Phœbum admissura latebris,
Subiectas spectans uiridanti uertice syluas,
Non hyemis rabies illam, nec flabra, nec imbres
Contigerant, Phœbiue æstus, semperque uirentem
Intactamque comam uentis ⁊ sole gerebat,
Bis ternas erat in latum porrecta per ulnas,
Tum longo nullus trunco modus, omnia magna,
Et rami, ⁊ foliorum ordo, ⁊ sublime cacumen,
Radicemq. aliis tantum sub tartara mittens,
Brachia sublimes quantum tollebat in auras.
Hæc sacrata Dijs domus, hoc uenerabile templum,

Effigies intus Divum formata metallo
Argenti, ⁊ solido perfecta nitens elephante.
Nec cuiquam pedibus mortali attingere limen
Fas erat, aut templum oranti succedere votis,
Antè præ quàm se lustrasset fluminis unda,
Irroransque caput conceptaque verba profatus.
Ipse horrore locus pavidos terrebat agrestes,
Et formidatus secreto tramite lucus,
Cædibus aspersi trunci, pecudumque cruores.
Sæpe etiam superum formas vidisse putabant,
Faunos, ⁊ Satyros, ⁊ monticolas Sylvanos,
Ingenti circum cælum omne fragore cientes,
Fulguraque, ⁊ vacuo vibratas äere flammas,
Et collucentes nocturno lumine sylvas.
Sæpe imis visus serpens exire cavernis
Sacrorum in medio, ⁊ depasta altaria linquens,
Ipse deus, geniusve loci, fugêre ministri
Attollentem iras, ⁊ sibila colla tumentem.
Quin ipsi varia specie volitasse ferunt,
Dæmones, atque atras per noctem agitasse quadrigas.

Hoc Rex in luco primum noua ſacra peregit,
Seque ſuis ipſum uelut obtulit hoſtia Diuis,
Ut [illegible] fortunato ſaluarent marte Boruſſos.
In medio ingentem tædis atque ilice ſecta
Conſtruxere pyram, totasque e montibus ornos
Aduoluunt, iactantque faces, volat ignis ad auras
Increpitans, hinc & pecudes toruosque iuuencos
Cornibus auratis producunt, extaque flammis
Porriciunt, largis onerantur lancibus aræ.
Ipſe autem patera Rex formoſiſſimus aurea
Nigrantis uaccæ media inter cornua fundit,
Exutus dextrumque pedem palmamque ſiniſtram,
Orauitque Deos, dixitque nouiſſima uerba:
Dij maris & terræ, dij longæ numina noctis,
Quicunque hos lucos, quicunque hæc templa tenetis,
Qui rutilos cælo iactatis fulguris ignes,
Fulminaque humanas ſonitu terrentia mentes,
Qui tempeſtates largumque emittitis imbrem,
Qui colitis nubes, & Lunæ proxima regna,
Et cæleres liquido libratis in äere plantas,

Hoc sacrum, neque has sacratum cernite ad aras,
Et me proque meo deuotum milite Regem
Suscipite, aduersis terrorem immittite castris,
Terroremque, fugamque, ⁊ inani robore martem,
Victoresque meos bello præstate Borussos,
Ut me sponte mea uestris unus dedico sacris,
Pro regno, populisque meis, proque hospitibus Diis.
Sic ait, ⁊ medios audax se immisit in ignes.
At proceres circum, pariterque intonsa iuuentus,
Ducebantque chorum, querulisque ululatibus auram
Implebant, syluæ clamorem ad sydera mittunt.
Ter circum mæstas equitant longo ordine flammas,
Ter galeam armati quatiunt, ⁊ tela coruscant.
Tum uero succensi animis, atque excita uirtus,
Deuotique Ducis facinus, lethumque decorum
Omnibus ante oculos, durique iniuria belli,
Arma fremunt, unaque senes, unaque iuuentus
Massagetis ferro mortem exitiumque minantur.
Nec mora, nec requies Felici Marte potiti
Fuderunt hostem campis, stragemque dederunt.

Exin maioris Pruſsi moderantur habenas
Imperij, & victas adigunt ſua ſub iuga gentes,
Aſt alios armis populos ad fœdera cogunt,
Et vacuis latè ſoli dominantur in agris.
Donec Maſoviæ ductor Conradus iniquum
Servitium exoſus, rurſumque ad bella vocavit
Gentem exhauſtam odijs, piget inter iuſſa ferocis
Imperij, prædas agrorum cernere abactas,
Raptatosque ſimul mæſta cum coniuge natos,
Atque alias alio cumulari ſanguine cædes,
Lataque perpetuis vaſtantes arva Boruſsos.
Sed non confiſus tanto decernere bello
Viribus ipſe ſuis, dubiumque accendere martem,
Aut deſperatam victori obtrudere plebem.
Ergo animis anceps huc ſecum volvitur atque huc
Ambiguam ſcindens ſtudia in contraria mentem.
Interea audierat validam Ptolemaida bello
Teutonidas tenuiſſe duces, & gloria Fratrum
Magna ſerebatur, virtusque exercita in armis.
Non illi ſegnes fuſi pro laude cruoris

Infidas contra gentes, pro fœdere sacro
Testatam fecisse fidem, neque tunc ita dudum
Auctoratus erat Solymis in mœnibus Ordo
Virginis auspicijs, cuius Deus editus aluo est,
Vt pro sacratis pugnarent fortius aris.
Candida uestis erat, & candida carbasa bello,
Et crucis impositum clara ferrugine signum,
Quod mox aurato diuisum limite fulsit,
Addidit his etiam clypeis insignia Cæsar
Romanas aquilas, quaternaque lilia Gallus.
Hoc uoluenti animo penitus succedere uisum est,
Mox oratores illuc diploma ferentes
Cum sceptro misit, fratrumque paciscitur armis,
Quicquid ab infestis auferrent marte Borussis,
Quicquid agri illorum deinceps ditione maneret.
Hac faciles illi sub conditione uocati
Sarmaticos ueniunt campos, aduersaque Prussis
Castra locant, summisque ad prœlia uiribus itur.
Hic dubio multos bellatum est marte per annos,
Multum adeo crebris uarians fortuna uicissim
Contulit exitijs, & multo sanguine fratres

Pacta redemerunt illati fœdera belli,
Vt famis oppletus tot fortia corpora uoluens,
Armaque, cristatasque iubas, et robora equorum,
Vix iter Arctoas perrumperet Istula ad undas,
Tantæ molis erat rigidos domitare Borussos.
Vis et Teutonicos ex ordine discere fratres
Egregia uirtute Duces, animasque superbos?
Inspice et annales ueterum monimenta parentum,
Quæ fortuna uiris, quæ bella, operumque labores,
Omnia quæ breuibus perstringimus argumentis.
1 Primus ab Henrico deducitur Ordo magistro,
Walpodia qui stirpe satus, Ptolemaida bello
Aggressus, socijs deuicit uiribus Urbem,
Relligione potens, et fortibus acrior armis.
2. Hic fato ereptus diadema reliquit Othoni
Carpensi, quo non Diuum uenerantior ullus,
Nec qui maiori studio coluisset egenos,
Pacis amans immanis, tollens super omnia pacem.
3 Quin et successor rigidis requieuit ab armis
Hermannus, cui barba dedit uenerabile nomen,

Dulcia pacificæ malebat commoda uitæ,
Quam pugnare manu, ⁊ ciues opponere letho.
4 Inde legas longo uexantem marte Boruſsos
Hermannum, Iſtulas qui primus uenit ad oras,
Ordinis Hermannum decus indelebile magni:
5 Carnorumque Ducem, quem fertilis Haſsia miſit,
Conradum, patriæ patrem, quo principe iam tum
Aſserunt triſtis crudelia Suantepolci
Prælia, qui ſocium damnans confundere pactum
Auſus, ⁊ aduerſum fratres uetita arma mouere.
Sæpius armatum multa ui compulit hoſtem,
Sæpius Iſtulas perfudit ſanguine ripas
Teutonico, ſi ſors propria hæc fortuna fuiſset,
Ille tamen moriens natis mandauit habendam
Enſifera pacem cum gente, ducesque colendos,
Concordesque animos in fœdera mittere iuſsit.
6. Quid tibi Popponem celebri de ſtirpe profectum
Osternauorum referam? quo præſide Pruſsi
Senſerunt cladem infandam, nec fortius unquam
Pugnatum legimus, quanquam auxiliaribus armis
Innumeras Liuonum uires in prælia ferrent.

Sic Dux instabat contra, sic impiger heros
Millia multa virum mittebat corpora letho.
Tandem ubi barbaricis satiavit cordibus iras
Destitit imperio, privataque ocia vitæ
Amplexus, placida compositus pace quievit.
7. Thuringa tellure satus summittitur Hanno,
Quo neque pax fuit melior, neque fortior armis,
Vir pius, imperijque sui lætissimus auctor.
Hic & Mandobij coluit commercia Regis,
Maxima cui duro suberat Lituania freno,
Cui male Christiadum mores & sacra perosus
Dæmonicos iterum ritus in regna recepit,
Molitus parta Germanos pellere terra.
At Regina gravi iamdudum exercita cura
Eventum versans animo, clademque futuram,
Orabat supplex, ne se committeret ultrò
Perfidiæ, ultoresque Deos speraret habendum.
Infelix nimium qui non monita aurea fidæ
Coniugis audierit, socijs desertus at ipse
Vertit terga fugæ, castris exutus & armis.
8 Post hunc Hartmannus Comes Heldrungensis obibat

Ordinis imperium, is primum uictricibus armis
Immites Prussos, gentiles linquere Diuos,
Infames ritus, damnataque sacra coegit,
Edocuitque pios mores, cultusque receptos.
9. Burchardus uero Swandinæ gloria gentis
Maxima, compositis Prussorum fortiter armis
In Litauos primum uictrices extulit alas,
Ingentes campos ferro populatus et igni.
10. Sed neque te tacitum Musæ Conrade relinquunt,
Quo Feutuangiorum duce se domus inclyta iactat,
Quos belli casus, exantlatosque labores
Pertuleris, fractas Turcis Ptolomaidis arces
Eripere, at non tum Ducibus fuit illa potestas,
Propriaque infidos tetigit discordia ciues.
Heu frustra toto certatum est corpore regni,
Et frustra Eoi oppositum pro robore solis,
Urbs antiqua ruit, multos dominata per annos,
Rudera nunc restant, æquataque nomina cælo.
11 Hinc regnum Gotfridus iniit Honloius Heros,
12 Et Feutuangeræ gentis Sigefridus alumnus,
13 Carolus et claro Treuirorum stemmate cretus,

Omnes inſignes bello & præſtantibus auſis.
Teſtis ſæpe ſuo Lituania ſanguine tincta,
Vitoldusque amans, & pacti fœderis hoſtis
Sarmatico infeſtans perfuſos flumine campos,
Sæpius & propria nequicquam clade repulſus.
14. At te perfunctum fato Wernere cruento,
Inclytaque Urſellæ geſtantem inſignia gentis,
Et iuuenile fero traiectum vulnere corpus,
Exanimem flebant Fratres, cineresque ſepulcro
Condebant, manesque una ter voce vocabant.
Nec ſceleris tanti nomen retulere Boruſsi,
Nec Litaui, aut qui ſe iactarant cæde Poloni,
Frater erat, ferus ille Ducem fratremque peremit.
Exinde illuſtres proceres de ſtirpe paterna
Cepere imperium, & claris natalibus orti
15 Lottarius patria princeps Brunonis ab arce,
16 Et Comes Altburgi, quem noſtri Theodoricum
17 Appellant, ac regali cognomine dictus
Ludolfus, primum bello affectare Polonos
Auſi, & Cuiauſes late vaſtare colonos.
Sed poſt perpetuæ memorantur fœdera pacis

Sarmaticos inter Reges, interque magistrum
Ordinis, & tandem abscessum Civilibus armis.
18 Aspice Desmarum, quā in Mavortius heros
Henricus validos reparantes praelia Russos
Vicit, & ingentes caesorum stravit acervos,
Et regem gentis Normandum ad tartara misit.
Illi tres animae fuerant, tria corpora vasto
Versabat motu assurgens, terna arma movebat,
Ter letho sternendus erat, cui tum tamen omnes
Abstulit ille animas, totidem spoliavit et armis.
19 Post illum Henricus bellandi accensus amore,
Hic quem Kniprodia memorant de stirpe profectum,
Confines Litanos ferro vastabat et igni,
Incenditque lares, Caunamque, & moenia Vilnae.
Ille & Kinstodum insidijs atque arte magistra
Incautum excepit Regem, cum retibus aptos
Elegerat saltus, & captum carcere clausit.
Hic ope servili mortem vitavit acerbam,
Filius at vero immanis florentibus annis
b Pacem ultro petijt supplex, tum fonte sacrato
a || Relligionis amans, rectiq; cupidine ductus,

Abluitur, veramque fidem Christumque profeſſus,
Et pro Rege Ducis ſibimet cognomina ſumpſit.
20 Hinc tibi Conradi tres uno nomine dicti,
21 Primus Zolneri, Walrodi ſanguinis alter,
22 Tertius his melior Jungingo ſemine cretus
Samogetas ſceptro pactis bonus addidit æquis,
23 Et fratri Vlrico moriens ſua regna reliquit.
Qui temere ingreſſus conſertos abiete montes
Ad pugnam, magno vitam in certamine fudit,
Et cladem ſocijs, quantam neque carmina vatum,
Nec veteres memorant faſti, neque fabula Graium,
Contraxit moriens, fati monimenta cruenti.
24. Quanquam multa animo meditans, ſed numine læuo,
Hainricus Plauiæ comitum genus, aſpera nunquid
Prælia reſtaurans caſus ſarcire priores,
Et paribus poſſet contundere cædibus hoſtem.
Infelix cœpti, ſqualenti carcere clauſus,
Tranſegit, fractus fatis, inglorius æuum.
25. Succeſſit Michael Sternbergius, inclytus armis,
Et veterum nulli procerum virtute ſecundus.

Hinc iam pacifico cœperunt viuere regno,
26. Paulus Rusdorffo de sanguine natus, & illi
27 Conradus morum assimilis, cui nomina donat
Erlinga generosa domus, tum lætior almæ
Pacis amor positis iunxit communia bellis.
28 Post illum frater Ludouicus fœdera iurat
Sarmatico Regi, primus qui sceptra Polonis
Subdedit, & partim dominum in sua iura recepit.
Imperijs utinam post fata inimica stetisset,
Non tot in Arctois iacuissent obruta campis
Corpora, et effractis innanta cadauera glebis,
Flumina nec tantos voluissent sanguine riuos.
Tunc res attritæ fratrum, & furialibus ausis
Sedetio Ducibus florem ciuilis ademit,
Victoresque caput tulerunt sublime Poloni.
29 Inde tibi Henrici occurrent, Plauensis, & alter
30 Roslinus, cui Martinum cognomine Truchsan
31 Substituunt, atq immatura morte Joannem
32 Tiffenium luci subtractum & dulcibus auris,
Dum Valachos petit, & magno cum vulnere fusum,

Omnes magnanimis debentes sceptra Polonis.
33. At non se timida Fridericus lege teneri,
Saxoniæ princeps, patrij non degener ortus,
Nec posse alterius parere putabat habenis,
Ergo animum partes fidens versabat in omnes,
Si qua viam cœptis Fortuna secunda dedisset,
Talia volventem infectis mors abstulit orsis.
34. Carmine sed quo nunc, quib. aut te laudibus æquem
Dux Alberte tuæ præsens fiducia gentis?
Perpetuam admirer pacem? belline labores
Durum opus armatis? an quæ solertia veri?
Addita vel dubijs quæ sit prudentia rebus?
Omnia magna quidem, ⁊ serum latura perennem,
Nunc alijs maiora alia, ⁊ mox æqua videntur,
Virtutesque simul tot in uno corpore certant.
Decidat ante dies fesso declivis Olympo,
Quàm mihi virtutum referatur summa tuarum.
Nec cunctis æquè tribuit divinus Apollo
Eximios celebrare viros, illa invia paucos
Castaliam molli deduxit semita clivo.

Tu sacra iampridem Monachorum perlita cœno
Immunda illuuie purgasti, omnemque nitorem
Dijs, sacris, templis, cum relligione dedisti.
Tu primus tecum magno percussus amore
In patriam Aonio duxisti vertice Musas,
Et viridi in ripa posuisti e marmore templum,
Pregula quod geminis inclusum flexibus ambit,
Hospitium Phœbo gratum, quod munere quoq; largo
Aere fovens, nunquam studiorum ad præmia parcus
Haud frustrà, nec te tua maxima facta tacebunt
Et non ingrato doctus hoc memorabitur ævo,
Has urbes donec spumanti Pregula fluctu
Alluet, ac Musas geminis circumdabit ulnis
Insulæ in medio, donec fluet Istula natus,
Binaque in Arctoum distendet brachia pontum,
Semper eris, semper claris celebrabere cantu.
Sin ad bella ferat studium mihi ducere carmen,
Haud tibi se quisquam ferret virtute priorem,
Tectis 7 armorum fulgore exterritus illa,
Cum caput obscuro timidum condebat in antro,

Et tacitas nullo pulsabat murmure ripas.
Et qui te captam vallo, Brunonis ad arcem
Senserunt: taceant immania facta virorum
Archivum, taceantque duces qui mœnia Cadmi,
Quique decennali vexarunt Pergama bello,
Namque Dijs similes fatiant, qui semine creti
Humano, tandem cecidere hostilibus armis,
Nostra suos etiam Germania nutrit Achilles.
Tu geminas primum vinxisti in fœdera gentes,
Concordesque animos æterna pace ligasti,
Publica res longum per te stetit, omnia paci
Reddita, et erectæ vacuis cultoribus urbes.
Mars autem longè Thracum concessit ad oras,
Illic æternis consumat Bistonas armis.
Tu decus Arctoæ meruisti insignia terræ,
Et veterum in melius mutasti nomina Fratrum,
Hoc tua te virtus, animusque in pectore præstans
Imposuere loco, gratatur patria patri,
Et triplici tibi se commendat in urbe Senatus.
Illo summa die rerum se ad tuta recepit,

Prussiaque afflictos recreauit fossa colonos.
Ac quam sit rebus prudentia gnara gerendis,
Et tibi subiectos qua dexteritate gubernes,
Audijt ⁊ si quam nostro procul orbe remotum
Diuidit Ionio longe vagus Adria ponto,
Seu quam contiguis secreta Britannia terris,
Adde tot eximias facundo in pectore dotes,
Iusticiae seruantem animum, fideique tenacem,
Et faciles vultus, ⁊ relligionis amorem,
Hinc probitas, studiumque pium, vtrique cupido,
Pectora consilijs hinc addita, ⁊ addita Musis.
O fortunatos nimium te principe Prussos,
Ipsa quibus portis pax ocia seruat apertis,
Et secura quies alit, ⁊ res affluit vltro,
Non illis rumpat placidos fera buccina somnos,
Nec mala vicini metuent commercia Mosci,
Ipsa grauis illis tellus vix passa bidentes
Sufficiet victum, ⁊ sterilis haud prodet aristas,
Prouentuque domos complebit, atq horrea vincet,
In campis vndique lacus, atque obsita iunceo

Flumina, dant pisces cumulo, ⁊ genus omne natantum,
Dant uarias nemora alta feras, dant utile lignum,
Nauigijs pinos, domibusque ingentia tecta.
Atque aliquis gelidi uicinus maria alta Trionis
Nauigat, et merces Danorum portat ad oras,
Aut Sueonum timidi appellunt ad littora nautæ.
Ast alius uasto dum uersat marmore remos
Circuit Europæ populos, terrasque patentes
Præterijt, Hispana procul quà littora fessum
Excipiunt Solem, currusque sub æquore tingunt,
Venit hyems, coquitur tristi perfusa lupino
Tosta Ceres, quo more domum paruosque nepotes
Sustentant, patriosque lares ⁊ limina seruant.
Nec melior fuit antiquis sua uita colonis,
Qui uirides propter ripas, ⁊ plana secundum
Flumina degebant, ubi plurimus arbore lucus,
Plurimaque obscuris pandebat frondibus ulmus.
Quippe ⁊ rustico nunc, ⁊ te principe mores
Sunt alij, tibi nunc sese melioribus annis
Debebunt nati, ⁊ similem tibi postera pubes,

Sæpius optabunt, quamuis tua facta sequatur
Filius, et patriæ superet pietatis imago.
At tu diue puer patrijs uirtutibus auctum
Imperium accipies, patriumque tuebare longa
Pace solum, et placidis defendas ocia Musis,
Sic iam adeo uatoris uestigia clara parentis
Tangis, et eiusdem specimen uirtutis inhæret.
In~~M~~ita sic soboli creduntur fortia patrum
Corda, nec imbelles aquilam generare columbæ.
Qualis erat primo ætatis iam termine Pyrrhus,
Cum pater Iliacas uictor pugnabat ad arces,
Ipse domi pacem, regnum puer ipse gerebat,
Mox tractanda etiam manibus puerilibus arma
Suscepit, patrisque animos in prælia gessit.
Tu quoque cum uenient anni, resonantia uatum
Ora fatigabis, dicent tibi carmina Musæ,
Inque tuos totum pandent Helicona triumphos.
Dij patrij seruate senem, seruate senili
Præsidio iuuenem, sit qui pietate parentem
Æquiparet, sit qui tutum defendat amicis
Hospitium Musis, et Mosci uindicet arma.

Hoc mecum Aoniæ Clario de fonte Sorores,
Hoc mecum Arctoi fluuij, & nemus omne precantur
Intonſi iuuenes, matres, caſtæque puellæ,
Applaudit cælum, ripæ uallesque reſultant,
Et latum reſonat geminis clamoribus æquor:
Dij patrij ſeruate ſenem, ſeruate ſenili
Præſidio iuuenem, & patrios deducite in annos.

Pruſsiæ Finis.

Casparis Schutzij Isleuiensis

Ero et Leander.

Ex Musæo Græco translatum carmen.

Musa refer tacitum sociati lumen amoris,
Et innantem audaci iactantem brachia fluctu,
Gaudia per mare naufragum nocturna petentem
Furtiuos thalamos, motis Pallantias astris
Candida quos numquam bigis præuertit Eois,
Et Seston, & Abydon, ubi tenebrosa feruntur
Erus connubia, & natitans maria alta Leander,

Atque natatoris pandens in vota Lucerna ...
Nuncia nocturnæ Veneris, decorans hymenæum,
Ardentisque viro præbens simulacra furoris,
Cui pater ætherius, sub noctem rite peracto
Munere, lucentes inter concedere stellas
Debuerat sedem, ac astrum vocitare Diones;
Ornantem thalamos sponsæ, fidamque ministram
Curarum quas gignit amor funestus, eamdem
Servantem insomni secreta cubilia flamma,
Vasta prius Boreas quam cærula flatibus imo
Concutiens fundo miseros turbaret amores.
Nunc age cantanti rerum mihi dicito finem,
Extinctamque facem, et defunctum luce Leandrum.

Contra data mari Sestus respondet Abydo,
Æquore distinctæ medio, sed contulit arcum
Diversis unum mittens amor urbibus ignem,
Virgineum strinxit iuvenili pectus amore,
Virgineoque Erus agitavit amore Leandrum,
Hæc habuit Seston, patriamque Leander Abydon,
Ambo formosi, patriæ ambo sydera terræ,

Ætas una fuit: tū ſi olim concita remo
Nauita cærulei freta ſecueris Helleſponti
Claſſe ruens fluctus, antiquam in littore turrim
Quære memor, ſi forte domus ueſtigia ſpectes
Vnde facem quateret natitanti Virgo marito,
Inſpice & anguſtum pelagus reſonantis Abydi,
Vt refluũ circum fluctus ſua littora plangant,
Dum iuuenem extinctum & mortem miſerant acerbam.
Quis Deus hunc autem malè conciliauit amorem,
Cuius Abydenus ſecreta cubilia Seſti
Vt peteret, tacitumque illic relinqueret ignem?

Inclyta tam forma, generis quam ſanguine Virgo
Ero clara patrum fuit, Idaliæque ſacerdos
Innuba, ſacra Deæ, tæda non nota iugali,
Turrim præcelſam uicini ad murmura ponti
Carorum amplexu procul hinc amota parentum
Inniſaſque domos habitabat littore ſolo.
Os Veneri ſimilis, nitido ſuffuſa colore,
Clara pudicitia, præ uirginitatis amore
Fœmineos inter uiſu rariſſima cœtus,

Haud unquam faciles iuuenum ſociata choreas,
Inuidiam fugitans, ſiquidem preconia formæ
Fœminarum mordent animum, quo ducta timore
Semper odoratas donabat lancibus aras;
Idaliam placans Venerem, iuuenemque uolantem,
Flagrantis fruſtra pœnitens mala tela pharetræ,
Nec tamen Idaliam mouerunt dona parentem,
Virgo cupidineis facta eſt obnoxia telis.

Feſta dies aderat lætis celeberrima ſacris,
Quam Veneri, et puero triſtis qui dentibus apri
Purpureo teneram fudit cum ſanguine uitam,
Inclyta ſolenni celebrabat carmine Seſtus.
Vndique finitimi coëunt, et ſacra frequentant,
Quotquot ab undiſonis uaga diuidit inſula ripis
Aſſiduo pulſata mari, quos Theſſala tellus,
Et quos clauſa freto miſit Neptunia Cyprus,
Omnis et Idaliæ liquit nemus alta Cythera,
Omnis odoriferi Libani quæ luſtra pererrat,
Quæque urbes Phrygias, latamque tenebat Abydon,
Turba frequens iuuenum, teneroque obnoxia amori,

Assiduus cœtus Nympharum, et sacra ferentum,
Non tam ferre Deum solennia dona per aras,
Quam teneras sacra coeuntes æde puellas
Visendi studio, et formæ lucentis honorem.
Ecce decens Hero medij per limina templi
Ingreditur, placidum spirans ex ore decorem,
Qualis ab Oceani Phœbe iubar extulit undis,
Purpureas spectata genas, media ora rubebant,
Pulcra verecundo paulum suffusa pudore,
Ut rosa folliculis gemino distincta colore
Emicat, ingenua sic Hero grata rosarum
Fundebat facie, rubens decor undique membris
Enitet, et quacunque viam vestigia signant
Florum gratus odor sequitur, tum candida velat
Palla latus, niveaque pedes sub veste relucent,
Plurima fœmineis fluitabat gratia membris,
Quam veterum triplicem commenta est fabula vatum,
Nam centum Charites spirabant lumine ab uno
Virginis, innumero decorantes ora favore.
Digna ministra quidem Veneris, at pulcrior ipsa,

Vel Veneri similis, simili Venus altera forma, ...
Formosis certè formosior omnibus Ero ... ..
Jamque egit flammas paulatim in corde virorum
Gratus amor formæ, placidique in corpore mores.
Aspiciunt, visamque optant sibi quisque puellam,
Amplecti thalamo, & tæda sociare marita.
Illa per ampla ferens niveos penetralia gressus
Mille virum pascit mentesque oculosque sequentum.
Atque aliquis iuvenum formæ lucentis honorem
Miratus, vocem vicinis misit ad aures:
Herculeam vidi Sparten, Lacedæmona vidi
Virginibus claram, & claram certamine formæ,
At non Spartanæ, Lacedæmoniæque puellæ
Huic similes, longo quas anteit intervallo,
Pectore prudenti, & teneri dulcedine vultus.
Forsitan illa trium comitabitur una Sororum
Ægæam Veneram, spectando lumina pasco ...
Defessus, nec dum satiavit visus avarum.
Protinus moriar, si chara cubilia pulcræ ....
Virginis attingam pernox, nec enim mihi magni

Cum superis optam tenuisse palatia cœli.
Hoc fruitus thalamo, iucunda virgine fruitus.
Quod si iura vetant una, si una numina substat
Excelsa Regina Paphi, neque tangere fas est
Accinctam vitta, et tractantem sacra ministram,
Hoc saltem, ut similem iungas mihi iure iugali
Te precor, et similis quæ præstet imagine formæ.
Talia mœrenti non unus pectore iactans
Vulnus alit vanis, hæretque in virgine fixus.
At tu multa tuo passus sub corde Leander,
Multa movens animo, cœlesti virgine visa,
Haudquaquam occultis animum mordere furentem
Contentus stimulis, fixisque in corde sagittis,
Sed tentare thorum sperataque gaudia certum est.
Aspectu crescebat amor, victrixque medullas
Flamma vorat, miserosque igni depascitur artus.
Quippe puellarum facies insignis amorem
Incutit, emissa velocior ipsa sagitta
Lumina præcipuit, per lumina limes amori
Factus, amor cordi paulatim illabitur imo.

Illum autem alterno stupor atque audacia motu,
Et tremor ⁊ pudor exagitant, versantque vicissim,
Corde tremit, pudor ora tenet, stupor ipse decentem
Inculcat formam, pudor est labefactus amore,
Surgit amor proximus, mox ipsa audacia crescit.
Tum gradiens tacito delubra per inclyta passu
Constitit adversum, fixitque in virgine vultus,
Obliquum intuitus fraudes nectebat inanes,
Nutusque, tacitasque notas, animumque puellae
Talibus insidiis penitus praevertere tentat,
Olli, ubi mutanti suscepit lumine vultum,
Occultosque dolos, pertentant gaudia mentem,
Consciaque erubuit formae, sed ⁊ ipsa decenter
Deiecit faciem terrae, nutusque loquaces
Transmisit iuveni, tacitosque reduxit ocellos.
Ille autem iam tum convicta laetus amante
Ut sensit vidisse, ut non renuisse puellam,
Spes animis agit, ⁊ tanti securus amoris
Opportuna sinus spectabat tempora noctis.
Interea auratos submittens lampadis orbes
Hesperias Sol intrat aquas, noctemque reducens

Frigidus aduerso procedit sydere vesper.
Vt vidit tenebras insurgere sole fugato,
Accelerans lateri propius tentare puellam
Aggreditur, digitosque premens candentis sinistræ
Suspirat cupidis animis, pudibunda retraxit
Virgo manum, paulumque genis rubor ora notauit,
Ostentans oculis iram, renuentiaque ora.
Versarat instabiles muliebri in pectore motus;
Et Tyrio traxit radiantem murice pallam,
Iamque audax animi tracta cum veste remotos
Secessus petit, illa pigro vestigia passu,
Vt quæ inuita manum cupidi sequeretur amantis,
Tractabat; iuuenem tunc verbis increpat vltro:
Quis furor hic hospes? quò me trahis improbe solam?
Ito tuam potius quà te via ducit ad vrbem,
Atque meam manibus prensam dimittito vestem;
Ni metuis patrem iratum pro talibus ausis,
Idaliæ non est fas sollicitare ministram,
Ardua virgineum deducit semita lectum.
Talia fœmineo munitata est subdola more.

Ille reluctantem labefactæ mentis amorem,
Signaque concussi sensit manifesta pudoris.
Nam quoties immani minitatur fœmina verbis,
Nuncia sunt tacitæ Veneris fera verba minarum.
Tum niveo propius circundans brachia collo
Venit in amplexus, luctantiaque oscula figens,
Ictus amore gravi, verbis solatus amantem est:
Diva Venus, certe Venus altera, et altera Pallas,
Haud equidem credo mortali semine cretam,
Sed reor ætherei prognatam stirpe Tonantis,
Felices talem qui te genuere parentes,
Felix et genitor, felix pulcerrima mater,
Quæ tam felici te pondere misit in auras,
Accipe me precor, ac qui se tibi debet amantem
Alma precor miserere mei, Venerisque sacerdote
Exerce Veneris innanilia gaudia Divæ,
Et thalami leges, et suaves discito amores,
Non bene virgineo colitur Venus alma pudore,
Illa thoris gaudet, si mens est magica veri
Sacra Deæ Paphiæ, fidosque addiscere ritus,

Sunt thorus ⁊ tædæ, Veneris ſi numina curas
Tu dulces animo potius ſecteris amores,
Atque tibi fidum capias ad ſacra miniſtrum,
Aut ſocium, ſi forte viri dignabere, lecti,
Quam volucer iaculum tulit ad tua iura Cupido,
Vt quondam Herculeæ ſubiecit robora dextræ
Iardaniæ Nymphæ virga Cyllenius aurea:
Hæc non Mercurius tibi dat, ſed mater amorum.
Scis ipſa Arcadico ut quondam genitore ſuperba
Dicitur immitis ſpreuiſſe Atalanta maritum
Melaniona, thoros nequicquam exoſa iugales,
Non tulit alma Venus mores irata proteruos,
Virgineiſque ferum commouit in oſſibus ignem,
Quumque prius fugit, rabido poſt corde maritum
Accepit, tangant moueo te exempla priorum,
Neue malum Veneri moueas incauta furorem.
Blanda recuſantem mouerunt uerba puellam,
Fluctuat ingenti penitus labefacta ſtupore,
Victaque conticuit, immotaque lumina fixit,
Ora tegens circum tenero confuſa rubore,

Deiectoque in humum uultu uestigia libat,
Aptauitque humeris uestem, fractique pudoris
Signa uiro manifesta dedit, iam iamque marito
Virgineum spondent pudibunda silentia lectum.
Olli dulce malum sublabitur ossibus, intus
Ardor agit uires, ⁊ cæcum subijcit ignem,
Nunc auersa, ⁊ nunc obtutu infixa mariti.
At densas circum tenebras nox atra uehebat.
Ipse autem contrà uultu flagrante Leander
Haud equidem inuitus spectabat uirginis ora,
Et niueum tacito lustrabat lumine collum.
Tandem amicta uiro, modico post tempore fatur,
Purpureas suffusa genas faciemque decoram:
Caucaseas etiam rupes, etiam alta moueres
Saxa tuis dictis, quis blandimenta, precesque,
Ancipitesque dolos docuit, formasque loquendi?
Hei mihi, quod nostræ uenisti ad littera terræ.
Quid tamen hoc prodest? etenim peregrinus, ⁊ hospes
Instabilis, nostro nec usque frueris amore,

Nec manifesta mei speres connubia lecti,
Omnes sic nostri thalamos odêre parentes.
Sin mecum tacitê mens sit tibi furto morari,
Arcanum frustra conaris fallere amorem:
Sic hominum uicina sedent conuicia linguis,
Et si quæ tacita peragas abscondita nocte,
Mox triuijs manifesta patent cantanda plateis.
Dic tamen unde domo, quod nomen? si mea quæris
Quæ patria et nomen, noti sum nominis Ero,
Quam tumido pelagi fluctu circumsona turris
Custodit, domus alta et solis obuia uentis,
(Tota domus duo sunt, Ero, et fidissima Nutrix)
Ante urbem Sesti, supra uada cærula ponti,
Hic habito inuisis propius maria alta parentum
Consilijs, nec ego pariles ætate puellas
Nec unquam choreas uideo, turbamue procorum,
Noctes atque dies uentosi murmure Cauri
Horrisono quatiunt ex imo gurgite pontum.
Sic fatur lacrymans uirgo, pudibundaque texit

Veste genas, dictoque virum obiurgabat inani.
At iuuenis rapido iam tum stimulatus ab igne
Certamen magni secum meditatur amoris.
Nam versutus amor quandoque in pectore versat
Immissos ignes, et eosdem mitigat ignes,
Vulnus opemque ferens, quosque alto strinxit amore,
Consilijs etiam morbum medicatur eundem.
Ille etiam ancipiti tulit opportuna Leandro
Auxilia, ut gemitu ingenti suspiria ducens
Instaret verbis, placidoque haec adderet ore:
Virgo tuum propter, tibi viuat dum solus, amorem
Horrisonis motam ventis tranabo per undam,
Si mare velivolum flagrantibus ardeat undis,
Paruus haud ulli fluctus, mihi paruus ego.
Non vereor tumidum minitantem tristia pontum,
Si tua per pontum connubia datur iniri,
Nec vereor fremitum grauiter resonantis aquai.
Haec per caeruleos Ero tibi brachia fluctus
Portabunt madidum tenebrosa nocte maritum,
Per medium immensis in fluctibus Hellespontum.

Non procul a Sesto apparet contraria Abydus,
Illa mihi patria est, tu celsa e turre Lucernam
Suspende aspectu, sydus mihi noctis futurum,
Non ego vel plaustri formam, pigrumve Booten,
Servarim, aut asprum sub nubibus Oriona,
Quodque sub Hesperio non tingitur æquore sydus,
Hanc spectans, hæc dubios monstrat mihi lampade cursus.
At tu, ne subito spirantes flamine venti,
Oro cave, tædam violent, vel lumina turbent,
Ne mea cum lychno moriatur vita sub undis.
Ac nomen si forte meum formosa requiris
Scire, mihi nomen nato dixere Leandro,
Infelix si non thalamum veniemus eundem.
Sic ambo tacitæ per amica silentia Lunæ
Infaustos thalamos, & primi fœdera lecti,
Tædarumque facem sola sub nocte ministram
Alternis pacti verbis, hæc tendere lumen,
Ille per incertum nando dare verbera pontum.
Ergo nocturnis stipulati fœdera sacris
Invitis abeunt animis, rebusque coacti

Illa suam repetit turrim, patriamque Leander
Ingratam remis uentoque requirit Abydon,
Certa prius turris iaciens sibi signa petendæ,
Ambo expectantes noctem tædasque receptas.
Sydera iam nitidum nocturna lampade Solem
Depulerant cælo, nox terræ uertitur umbra,
Somnus & ima uirum placidè per membra reuertens
Mulcebat curas, & corda oblita laborum.
Nescit amans ~~somnum~~ noctem, neque tristi pectore somnum
Accipit, & tumidos ad concaua littora fluctus
Spectabat, summa radiantem turre lucernam
Expectans, thalami sacra ad nocturna uocantem.
At uidit tenebras caligine surgere densa
Ero pernoctem uigilans, mox lampada quassat
Ostentans tecto excelso, tum concitus intra
Corda furore graui amantis, flagrante lucerna
Flagrat & ipse fero labefactus pectora morsu.
Tum uerò insanum horrisono cum surgere fluctum
Ponto aspectabat, paulumque exterritus undis
Horruit, at postquam reuocatum pectore amorem

Concepit, ſic ſeſe animus ſolatur, & infit:
Sæuus amor, ſæuum palagus, ſed ſæuior undis
Eſt amor, & palagi vis eſt immenſa profundi,
Aſt amor excruciat cæco immedicabilis igne.
Vis animæ quid aquam metuis circundata flammis?
Huc ades in noſtros ignes, quid cærula curas?
Orta Venus palago magnis dominatur in undis,
Illa etiam noſtro penitus dominatur amori.
Sic ait & teneros humero reiecit amictus
Feſtinans, capitique manu religauit utraque,
Inque fretum præceps abijt, corpusque ſub undis
Mergebat, ſpectans aduerſam exinde lucernam,
Ipſe ſibi remex, ipſe alto in gurgite nauis.
Interea virgo rutilanti luce miniſtram
Lampada prætenſo circum velamine texit,
Quacunque infeſtos audiret voluere ventos.
Donec ad optatum ſuperato gurgite littus
Iret ouans iuuenis, terræque adnaret amicæ.
Protinus occurrit, primoque in limine ſponſum
Excepit, poſuitque lauans humentia circum

Colla manus, madidosque marino rore capillos,
Jam iuuenem gaudens ad summa cubilia lecti
Perduxit Virgo, colloque infusa mariti
Abstergit fluctum, & fragranti pallade tinxit
Membra uiro, repulitque maris graueolentis odorem,
Jamque etiam fessum talamoque vlnisque receptum
Ipsa fouet gremio, uerbis blandita uenustis:
Sponse laborasti nimium, neque fortius ullus
Captauit sponsus delectæ gaudia nymphæ,
Sponse laborasti nimium, satis æquoris Vndam
Hausisti, & pelago tristem spumantis mephitim,
Huc ades inque sinus defesse abscondere nostros.
His appellabat dictis, gremioque fouebat.
Nec mora composuit sese, zonamque resoluit,
Idaliæque Deæ subierunt munus amantes.
Nuptiæ erant nullis choreis, sine carmine lectus,
Non uates sacro cecinit connubia uersu,
Nec thalamos intra tædis fax festa reluxit,
Nec socij iuuenes agiles duxere corymbos,
Nec pater aut genitrix sponsi natæue hymenæum

Concinnare thoris, nox lectum ſtrauit amori,
Nocte ſilent thalami, cinctus caligine ſponſus,
Et cantu feſtum caruit lætoque tumultu,
Pronuba nox thalami, nec mater Memnonis unquam
Conſueto uidit lecto cum luce Leandrum:
Ille autem primo rurſum ſub lumine Solis
Aduerſæ natitans oram tendebat Abydi,
Nocturnos animo ſtetum meditans hymenæos.
Aſt Ero ueſtem ſacratam induta parentes,
Virgo die, nocte mulier, fallebat inertas,
Et ſæpe nocturna uotis ardentibus ambo
Sæpius optarunt deſcendere ad æquora Phæbum.
Sic illi tacitum celantes pectoris ignem
Gaudia connubij peragebant dulcia furtim,
Sed lætam exiguo traxerunt tempore uitam,
Atque inſperato uenit exitus acer amori.
Namque ubi triſtis hyems ſqualentia protulit ora
Horriſonis quatiens uentis ⁊ turbine pontum
Naufragum, ⁊ toto uoluunt ſeſe æquora fundo,
Æternum inſani ſpirantes frigora Cauri,

Assiduè precis torquebant cærula nimbis,
Concussasque rates fragore in littore curuo,
Nauita cum pelagus liquit, naualia curans,
At non tempestas miserum tenet atra Leandrum,
Cum freta tentarat nando, dum nuncia turri
Flamma vocans, fluctum manibus pulsare mouebat,
Infelix lumen, sed enim infelicior Ero
Virgo parum prudens hyberno sydere lychnum
Condere, et in nullos iuuenem compellere fluctus
Debuit, et quandoque viro tædisque careret.
Cogit amor, cogit Parcarum inamabile fatum
Supremam miseris tandem suspendere lucem.
Nox erat, et vasto commoti turbine venti
Flatibus hybernis diuersa parte frementes
Collecti ex imo voluebant Nerea ponto,
Et passim allapsi collidunt littora fluctus,
Gurgite cum medio iuuenis maria humida nando
Brachia iactabat, solitos spectans hymenæos,
Incubuit fluctu pelagus, cumuloque ruebat
Unda ferens undam, summoque insurgere cælo

Visus [illegible]at pontus, gemuit terra ictibus atris,
Concurrunt Zephyro diuersis flatibus Euri,
Et Notus aduersum Borean fera prælia miscet,
Ingeminat fragor, & strident maria ima cauernis.
Tum fremitus inter maris & uada cæca Leander
Rectoram frustra Neptunum in uota uocabat,
Et Veneram æquoream frustra, frustraque ciebat
Cecropiæ Boream memorem satis Orythiyæ.
Vota ferunt uenti, nec amor mutare Deum iam
Eualuit, fluctu obscuro & spumantibus undis
Obruitur, uictusque maris feruore fatiscit,
Deficitque uigor plantas, uirtusque natantem
Deficit dextram & iactas in gurgite palmas,
Iam fluidus patulo se gutture miscuit humor,
Et maris indomiti potum sorbebat amarum,
Iamque facem turri in præcelsa turbine adacto
Extinxit Boreas flammamque animamque Leander
Deseruit, pelago fluitans miserabile corpus.
At Ero summam in lucem stans peruigil arce
Anxia, præsago uoluebat pectore curas.

Vt uidit primo cælum mitescere Phæbo,
Nequicquam undanti circumfert lumina ponto,
Multa mouens, si forte uirum, si forte uideret
Naufraga optatos tendentem ad littora cursus,
Dum fax extincto uix fumum lumine uoluit.
Tum uero ut uidit nantis ac æquore uictum
Defuncti uasto iactari in gurgite corpus,
Diriguit uisu in medio, tum pectore uestem
Dilanians, summaque ruens de turre sub æquor
Desiluit, chari moriens in amore mariti.
Non illos mare fluctiuomum, non flebile fatum
Diuertit, nec mors extrema diremit amantes.

Finis de Ero et Leandro Carminis.

M. Casparis
Schützij Islebien.

Sermonum Jobi
Liber Heroicus.

M Casparis
Schützÿ Islenien̄.

Sermonum Jobi
Liber Heroicus.

Spectabilibus et Honoratis Viris, Georgio Clefeldo, Constantino Ferbero, Joanni Praeto. Praeconsulibus, et Alberto Gisio Consuli, Ciuitatis Gedanensis, in Polonia captiuis.

Multa quidem uariam uersant incommoda uitam,
Et premit afflictos grande laboris onus,
Siue quid aduersi fortuna uolubilis infert,
Siue quid ærumnæ fata Deusque creant:
Sed nihil est quod non patientia dura ferendo
Vincit, ⁊ inuictum tollit in astra caput.
Sæpius ut diras geminet sors aspera plagas,
Sæpius horribiles intonet aura minas:

Illa minas tandem ⁊ plagas ſuperabit acerbas,
Hanc unam rabies vincere nulla poteſt.
Cernis ut inuictum damnis ſe præſtet Jobus,
Multa ferens forti non toleranda uiro:
Cui ſobolemque, domumque, ⁊ res uno impete fractas
Eripit inferni flebilis ira Iouis:
Dum ſedet ulceribus plenus, ſanieque fluenti
Liuidus, ac cineres ⁊ ſua buſta fouet,
Aſt illum patiens animus ſpes certa laborum
Suſtinet, inuicto numinis ſperat opem.
Tandem illi ſobolemque domumque ⁊ res ſimul omnes
Reddidit ætherei gratia diua patris.
Vos etiam, patriæ quos inclyta lumina terræ
Ciuilis meritò nobilitabat honor,
Nunc premit immiti fortuna potentior ira,
Et grauat innocuum publica cauſa caput.
Non ideo fractis animum ſubmittite rebus,
Eſt uirtus æqua mente dolenda pati.

Durate & uosmet rebus seruate secundis,
Clara solet pulsa nube redire dies.
Non solet assiduos effundere Juppiter imbres,
Et madidos nitido sole serenat agros.
Vir bonus & sceleris uacuus discrimina temnit,
Quæ fortuna tulit, non sua culpa dedit.
Ruat ut totus fractis compagibus orbis,
Impauidum feriet uasta ruina uirum.
Viderit ista Deus qui digerit omnia fatis,
Inque manu duri pectora Regis habet.
Cum uolet, iratos animos ad lenia flectet,
Proueheat ut nostram mitior aura ratem.
Nunc tu qui cœli medio pulcherrimus exis
Incipe quamprimum Lucifer alme diem.
Interea patiens solatia dicat Jobus,
Et nobis aliqua parte leuamen erit.

Sermonium Jobi
Liber Heroicus.

Iobus Capite I.

Nudus eram ſuperas in luminis editus oras,
Nudus ad infernos cineres ⁊ buſta reuertar.
Si pater omnipotens fato quem mulctat acerbo,
Siue larem ⁊ vitam & res funditus eruit omnes,
Quod dedit, hoc aufert, nihil eſt quod dicere poſsis
Perpetuo proprium, modico datur omnibus uſu.
Quod largitus erat, cur non quandoque repoſcat?
Sic illi placitum eſt, ſic illo fata iubente
Procedunt, ſic ille ſuo gerit omnia nutu.
Illum ſummus honor manet, illum gloria ſumma,
Seu premit aduerſis, ſeu mutat dura ſecundis.

Idem Iobus

Capite II

Si quando placitis rerum ſucceſsibus uti
Cæpimus, idque animis gratum, id fuit utile votis,
Cur ubi ſeſe incerta loco fortuna priori
Movit, ⁊ adverſis ſpirarunt flatibus Euri,
Turbamur? nec res animis agnoſcimus æquis?
Lætaque cur alio ferimus, quam triſtia vultu?
Triſtibus aſſueſcat cui res placuere ſecundæ.

Idem Jobus

Cap: III.

1 Dispereat qui me natalis misit in auras,
Et nox, qua matris dicor susceptus in alvo,
Illa dies tenebris obnoxia, nec deus illam
Desuper ~~inquirat~~#, nec lumine compleat aureo, # agnoscat,
Sic illam tenebræ tetra caligine cingant,
Et densæ nubes, & tristior ætheris æstus:
Noctem illam caligo premat, Phlegetontides umbræ,
Illam nec taciti quisquam dignabitur anni
Mensibus annumerare, sacris neque condere fastis:
Illam ~~desertam~~ solivagam, & tenebrarum sordibus haustam
Nec ~~vox~~ lætantum celebret, nec clamor ovantum:
Devoveant illam, diro qui carmine Solem
Obscurant, pelagoque ciunt Neptunia monstra:
Illius ignavæ lateant sine lumine stellæ,
Nec iubar Auroræ videat, neque ~~lucis~~ Eoæ,

Quod neque maternus praecluserit ostia ventris,
Nec mala tot nostris praeverterit omnia fatis.
Cur ego non prima perii gemebundus in alvo,
Et natus matremque simul, simul aethera liqui?
Cur miser exceptus gremio? cur ubera suxi?
Nunc saltem æterna pressus sub nocte iacerem,
#longa Et me ~~dura~~ # quies, rerum secura, teneret,
Opprimeret Regum somnus, qui diruta campi
Ædificant, vel quos ingens ditaverat aurum,
Et rutilo penitus laquearia fulta metallo:
Aut ut abortivus latitassem in funere fœtus,
Aut velut infantes periissent in limine vitæ.
Improba mors tandem motus compescit inanes,
Hic fessis modus, et requies æterna laborum,
Et quondam vincti noctem duxere beatam,
Nec saevus exactor pavidos, nec creditor urget,
Hic imi summique gradu censentur eodem,
Atque uno veniunt, servus, libertus, honore.

Cur miseris autem data uitæ inuisa potestas?
Afflictique animis uescuntur luminis usu?
Exoptant mortem, at mors longè optata recedit,
Quam uitæ immiamoras tellure recludere uellent:
Atque adeò gelidi siquando cubilia busti
Inueniunt, o quanta animus sibi gaudia condit?
Tristia si cuius pressere silentia uitam,
Et pater ex alto nebulis circundedit atris.

Ante cibum gemitus agito, ⁊ suspiria mando
Infelix, oculis lacrymarum flumina fundans:
Nunc uenit ille timor, quem toto horrere solebam
Pectore, ⁊ hoc ipsum apparet quod sæpe uerebar.
Sic me perpetuus rerum successus, ⁊ alta
Ocia, sic tranquilla quies impune fouebat,
Nunc mala tam subito tempestas turbine
frangit.

Eliphas Thema-nites.

Cap: IIII.

~~At~~ Si ~~ſi~~ quis, se tecum ~~ſermones nectere~~ verbis committere tentet,
Forte tibi ſurgant animis vehementius iræ:
Sed quis conceptis ~~ſub corde~~ iam ~~mentis~~ ſilentia ~~verbis~~ dictis
Injiciat? multos olim tua provida ~~dicta~~ verba
Erudiere, manus firmaſti ſæpe remiſſas,
Sermo vacillantes tenuit, genua ægra trementes
Verborum erexit ~~præſtantia læta~~ conſtantia certa tuorum:
Nunc autem tua te postquam fortuna ſubiuget
Deſeris, et primis trepidus vix ~~f~~ſiſtibus hæres.
Hæc tua relligio est? ubi nunc fiducia fracto?
Jobus ubi patiens? et quam iactare ſolebas
Semper inoffenſum ~~te~~ vitæ, pro ducere curſum.
Quin age et ipſe memor ~~dictis his~~ præſentibus adjice mentem:

Et quam vidiſti pereuntem ⁊ labe carentem?
Aut perimunt homines ſuperi ſine nōie culpæ?
Triſtia vidi equidam ſcelerum ſementa colentes,
Et dignos tali fructus de meſſe ferentes,
Flante Deo tota penitus tellure moueri,
Turbineque ætherij radicitus ipſe furoris.
Quid tibi ſæuorum referam genus acre leonum,
Et rabidos fœtus, ⁊ inania murmura Pardi?
Cum partim fractis ſubierunt faucibus Orcum,
Immemores prædæ, partim in diuerſa feruntur.
Hæc ego dicta mihi iadudum arcana notaui,
Et mihi cor tacitos auida bibit aure ſuſurros,
Dum nocturna cubans animis ſimulacra reuoluo,
Languida per.terras premeret cum corpora ſomnus,
Tum mihi neſcio quis ſupra caput aſtitit horror
Attonito, gelidusque tremor penetrabat in artus,
Viuus inſpecta volitabat ſpiritus aura,
At mihi ſtant horrore comæ, ſtant corpore ſetæ,

Ecce ignota meis oculis apparat imago,
Cætera cuncta silent, ego uocem his auribus hausi:
Ecquis homo pietate Deum superare ualerat?
Seque suo ~~[illegible]~~ faceret meliorum auctore creatus?
Angelicos etiam leuis inconstantia cœtus,
Flammigerasque animas olim furor egit iniquus,
Et surgunt homines terrestria tecta colentes?
Pauperis, & tuguri congestum cespite culmen?
Olim etiam tineis & uermibus esca futuri?
Solis ad occasum perdurant Solis ab ortu,
Mox improuiso pereunt, neque tale timentes.
Quin et relliquiæ fato tollantur eodem;
Et sana penitus cassi uirtute peribunt.

Idem Eliphas

Cap: V.

Dicito nunc, ecquis iustorum talia passus
Vixerit, atque omnes mundo circumspice sanctos.
Scilicet insana stulti rumpuntur ab ira,
Et faciles animos trahit in mala tristia livor.
Vidi ego cum stabili stultum radice teneri,
Exarsique animos intra, dirasque precabar:
Nulla salus natis veniat, generique nepotum,
Conspectu in medio pereant, in limine portæ,
Nec sit qui cædem miseris avertere curet,
Illius ut messem sitiens famelicus ore
Absumat, rapiantque armati impune latrones,
Raptarumque inopes plena saturentur opum vi

Non mala fortuito veniunt incōmoda casu,
Nec dolor ærumnæque graves de pulvere surgunt,
Verum homines æque fatum est haurire labores,
Quam celeres alis errare per alta volucres.

Verum ea sydereum fas est discernere patrem:
Ille opera explevit nullos obnoxia sensus,
Res miras, quas nec numero comprendere possis.
Ille suam terris pluviam demittit ab alto,
Flumineque aethereo perfundit strata viarum:
Erigit ille humiles, et summa collocat arce,
Moerentesque iubet facilem sperare salutem:
Docta ~~Alta~~ malignantum sed enim decreta retractat,
Nec stolidis patitur fortunam assistere captis
Prudentum consulta deus deprendere ~~[illegible]~~, solers
Et male in adversam meditata impellere fraudem:
Luce palam clara captant caliginis umbram,
Sole palam medio palpant, ceu nocte, tenebras.
Eripit miserum gladii incumbentis ab ictu,
Arcebitque inopem Regum crudelibus ausis:
Hic animus confidet, et hinc spem ponere discet,
Impius obticuit contra, vocemque repressit.
Felix o siquem vindex deus acrior urget,
Tu ne clamantis detrectes verbera poenae,
Infligit simul, et simul idem vulnera sanat,

Vna eademque manu, morbus, medicina feretur.
Sæpius ut doleas, ~~et~~ terque quaterque labores,
Tandem animis tandem superata pericula vinces.
Non te insana fames letho multabit acerbo,
Nec rabidos inter belli rapiere furores,
Securusque premes diræ convicia linguæ,
Nec mala vesanæ metues contagia pestis,
Cum pestemque famemque inter, ~~[illegible]~~ læta gaudia carpes,
Nec rictum horrebis magnarumque ora ferarum,
Firmaque percuties cum vastis fœdera saxis,
Optabuntque feræ pacis commercia tecum,
Tecta domus sic deinde tuæ tranquilla tenebis
Securos habitans expers a labe penates,
Tum tua perpetuo ducetur ab ordine proles,
Tot numero nati, quot in herbis gramina surgunt,
Iamque senex ævique satur condere sepulcro,
Vt matura seges canis ~~[illegible]~~ resecatur aristis.
Hoc adeo certis cognovimus argumentis,
Tu dictis adhibeto aures, animosque secundos.

Iobus

Cap: VI

O utinam examen mea facta uocentur ad æquum,
Et mala quæ patior trutina librantur adunca,
Longè plura tuli madidum quàm littus arenas
Eiectat, neque sufficiunt meā uerba dolori.
Tela Deus tua tela animæ spiracula fessæ
Hauserunt, magnoque tuus premit agmine terror.
Nunquid agit gemitus Onager dum gramina pascit?
Mugitumue boat plena ad præsepia Taurus?
Nec malè conditum mensis adhibetur opimis;
Nec salis experti sapor est albuminis ouo,
Ingrati ~~[illegible]~~ quæ cibi gustu sumuntur amaro.
At mihi quod manibus quondam tetigisse uerebar
Nunc cibus est, mæstique facit solatia uictus;

Longa fames tristes docuit dulcescere succos.
O utinam (superi) mea uota precesque ualerent,
Et pater omnipotens saltem hoc cōcederat unum,
Ut quo more meas cœpit componere plagas,
Sic ageret, uexetque manu, mea fata soluta,
Haud equidem omnino ferrer solaminis expers,
Parcere me uris, quarum ipse est unicus auctor.
Ærumnis peteram, nec sancti uerba negaram.
Nam quibus ætheriam durabo uiribus iram?
Aut quis erit modus? aut quid uitā demoror ultra?
Non mihi sunt silicis fragili sub pectore uenæ,
Nec duro constricta rigent præcordia ferro,
Nusquam præsidium est, nusquam pugnare potestas,
Ipsi animis etiam raro uertuntur amici.
Quisquis uicinum non est miseratus egentem,
Non illum ætherei tangunt exempla timoris.
Viderunt fratres, ⁊ præteriere iacentem,

Præterit ut rapidus medijs conuallibus amnis,
Frigora qui galidæ maturant hyberna pruinæ,
Tristis hyems illos multa niue proruet actos,
Vt glacies tepido Phœbi soluuntur ab æstu,
Nec rapidos poterunt ignes consistere contra.
Inuia sectantur taciti, loca trita relinquunt,
Ducat ut in præceps fragiles mala semita gressus.
Seruarunt Arabum uestigia nota latronum,
Seruauere uias Thamæ, seruasse ~~pigebit~~ pudebit
Cum ueniunt, falletque malos spes irrita cursus.
Venistis, plagasque meas horretis amici,
Nunquid opes petij uagas? aut arma rogaui
Hostiles contra fremitus, Regumque furores?
Dicite, uerborum nunc iam nihil insuper addam,
Dicite, me quanquam sperno meliora monentum.
Recta manent immota gradu, quam nempe docetis
Quæ dextre monitum ratio in cõtraria ducat?
Exigitis facilem tantum ad conuicia linguam,
Terroresque animis frustra spiratis inanes,

Pupillum premitis qui se defendere nescit,
Insidijs & fraude mala captatis amicum.
Sic agite, & cœpto finem properate labori,
Atque mihi memorem quandoque advertite mentem,
Haud etenim vestris referam mendacia dictis,
Dicite vos contra, modo nil dicatis iniquum,
Et totam arbitrio recti submittite causam,
Non dubito quin iusta meæ fiducia linguæ
Nec pravos stolido sermones ore profundi.

Idem Jobus.

Cap: VII.

Militat omnis homo ſuperis dum naſcitur auris,
Ut qui perpetuum tolerat mercede laborem.
Servus ut optatas feſſus deſiderat umbras,
Conductus metæ numerat momenta diei:
Sic ego tot uanos numeraui ex ordine menſes,
Totque ærumnoſas queſtus ſum currere noctes.
Languida cum dulci mandaui lumina ſomno,
Aſſiduè uerſo, quo rurſum tempore ſurgam,
Cum ſurgo, tacitæ repeto inde crepuſcula noctis,
Omnibus inuiſus ſolem ſic duco diurnum,
Donec ſera rubens accendit lumina Veſper.
Obſite morborum corpus computruit æſtu,
Et putidam uerſant ſordes in puluere carnem
Marcida facta cutis uix his uix oſſibus hæret.

Non citius tereti soluuntur stamina tela,
Quam decursa meæ fluxerunt tempora uitæ,
Sistere nec quisquam potuit, cursumue morari.
Esto memor, quia uita leui fugit ocyor aura,
Tristior ærumnis, & rebus raræ secundis,
Tandem obeo, nec me quisquam sub luce requiret,
Ipse uides, inter sed enim tabesco uidendum.
Ut dispersa leui uanescunt nubila cælo,
Sic quamcunque semel rapit atræ cimba mortis,
Non ultra dulcesque lares sedemque reuisit.

Ergo ego nec uerbis parcam, tantaq grauatus
Mole querar, animæ quicquid uis intima ~~[illegible]~~ læsæ
Pertulit, & quantas agitem sub pectore curas.
Nunquid enim mare sum, maris aut inamabile monstrum,
Ut malis seruatum uigili me carcere claudas?
Dicebam, fortasse dabit solatia curis
Lectulus, & stratis tacitus mecum ista reuoluam,
At tu nocturno iactas insomnia cælo,
Tristiaque horrescunt mæstas simulacra per umbras:

Tunc ego vel laqueo miſeros finire labores
Optarim, aut alio damnatus occumbere fato,
Sic cæli penitus tædet commercia terri.
Parce precor, vitæ brevis vmbra & inanis imago,
Cur hominem tanti reputas? cur illius ergo
Sollicitas adeò cogis ſub pectore ~~ſenſus~~ curas?
Sic miſerum exerces, ſic tota luce fatigas,
Quin modò paulisper ceſſas, plagamque remittis,
Feſſus anhelanti redeat dum ſpiritus hauſtu.

Crimina cauſaris? quid agam, ſi talia curas
O hominum cuſtos? quid me tibi ſiſtere contra
Nequicquam refert, onerique haud eſſe ferundo?
Cum potius delicta meæ latitantia vitæ
Tollis, ut hac tandem relevatus mole quieſcam.
Ni facias, iam iam defunctus puluere condar,
Et matutino fruſtra me ſole requirent.

Bildadus Suhites.

Cap: VIII

Quo tamen usque levi geminabis talia lingua?
Oraque prudentum tolles contraria dictis?
An ~~Deus arbitrium falso pervertere possit~~ humana Deus trutina non vantilat æqua?
Aut recto adversus norma declinat iniqua?
Si tua progenies turpi se labe notavit,
Talibus eveniunt dignissima præmia factis.
Sin mala præterita ~~[illegible]~~ castiges acta ~~[illegible]~~ juventæ
Et supplex te in vota feras, veniamque requiras,
Haud equidem precibus surdas occluserit aures,
Successusque tuos referet, sortemque priorem:
Quinimmo longè fælicior, omnia longè
Uberiora cadent, voto res amplior omni.
Si dubitas, ævi veteris primordia cerne,
~~Actaque maiorum~~ circumspice multo parentum,
Priscorum seriem

(Nos ⁊ nata recens, ⁊ rerum ignara propago,
Et quibus actorum præteritorum stat umbra dierum)
Illi te melius rerum documenta monebunt,
His animos adhibe, ⁊ ueterum præcepta reuolue.
Vidiſti ſiccas iuncum obſediſſe paludes?
Et nullis gramen creuiſſe manantibus undis?
Dum uiret, areſcens primis moritur in herbis
Ante ſuam falcem, ſementes ante beatas:
Sic pereunt, quicunque Deum ⁊ ſua numina temnunt,
Fictaque nequicquam pietas ſpem nectit inanem.
Haud etenim ſtabili poſita eſt fiducia fulcro,
Nititur et fragili, quam fecit aranea, tela,
Nec domus auxilio eſt, quæ iam ruitura laborat,
Et male pendentes fulcit ſtructura columnas.
Nonne uides teneram campis floreſcere plantam,
Quam liquor ⁊ placidi nutrit clementia Solis?
Illa per obiectas radicem prouida cautes
Explicat, ⁊ duri rumpit penetralia ſaxi:
Tum ſi quis ſtantem radicibus eruat imis,

Eijciatqůe loco, ⁊ ůestigia nulla supersint,
Ecce sůis laeta exitijs noůa semina fůndit,
Atqůe noůam fracto reparat de cortice prolem.
Hoc adeo memor esto: Deůs neqůe ůota piorům
Despectat, neqůe conatůs fortůnat iniqůos.
Hoc age ⁊ effůso nůmerabis gaůdia risů,
Grataqůe per ůacůům resonabis iůbila coelům,
Sistat ůt hostilem facias půdibůnda fůrorem,
Impiůs ⁊ fractos deplorat tůrbine postes.

Jobus.

Cap: IX.

Haud equidem ignoro, neq uos ſententia fallit,
Non tamē diuinæ facies humana repugnat
Iuſticiæ, uanum eſt rixari, ⁊ tendere litem,
Vix uerbum inuenias contra de millibus unum.
Illi multa ſedat plano ſapientia cordum,
Viribus inuictis, nec quiſquam impunè rebellem
Oppoſuit dextram, magnis quin excidat auſis.
Ille loco montes mouit, nec talia agentem
In tanta quiſquam potuit ſentire ruina.
Ille ſua uaſtam tellurem ſede reuellit,
Ardua terrarum tonitru fundamina quaßans.
Ille ſuum potis eſt terris abſcondere Solem,
Lunaque compreſsis ſignacula ponere ſtellis.
Extendit liquidi ſpacioſa uolumina cæli,
Perque feros fluctus graditur perque inuia ponti,

Arcturum ⁊ nitidi finxit latus Orionis,
Pleiadumque choros, atque Austri turbida regna.
Quæ facit ingenti facit omnia plena stupore,
Multaque magnarum pandit miracula rerum.
Transibit, tacito nec euntem lumine prendes,
Commeat hinc illinc, ⁊ sunt uestigia nusquam.
Sin se præcipitem rapuit sublimis in altum,
Ecquis deinde trahat retrò? causamue requirat:
Cur faciat? Deus est, siquando exarsit in iras
Tum proceres animos ponunt Regesque superbi.
Vnde mihi dictis contrà pugnare potestas
Tantillo? ⁊ uanis uerborum ambagibus uti?
Ac mihi ne pugnare Deo sit stulta libido,
Quantumuis iustam aggrediar defendere causam,
Sed uotis instare iuuet, ueniamque precari:
Qui etiam si fortè dedit responsa uocanti,
Vix tamen hoc animis titubanti credere promptum est,
Supplicis an uocem patulas admiserit aures:
Sic rapidus subito subuersum turbine strauit,

Multaque ſqualanti cumulauit uulnera tergo.
Vix mihi nunc animus ſupereſt, uix ſpiritus auram
Colliget, ⁊ rebus penitus diſtendor amaris.
Si libeat totas aduerſum intendere uires,
Quæ potis ætheriam uis eſt infringere dextram?
Sin æquo libeat ſub iudice uertere litem,
Quis precor aſſiſtet? quo cauſam teſte probabo?
Ut me proclamem iuſtum, damnabor idipſum,
Sit probitatis honos, ille contraria uertet,
Eſto ſim ſceleris uacuus, ſim criminis expers,
Non tamen hoc ægram fas eſt inducere mentem,
Idque adeo exoſum luci me reddit agendæ.
Unum illud repetens iterumq; iterumq; fatebor,
Ille ſibi ſemper ſimilis, iuſtumque malumque
Vitæ
Affligit, nec eum ~~rerum~~ diſcrimina tangunt.
Cum ferit, inflicto molitur uulnere mortem,
Atque etiam inſontum pœnas ludibria ducit.

Impius interea terrarum sceptra gubernat,
Atque obvelato dominantur lumine Reges.
Si non ipse Deus, quaeso quis talia ~~condit~~ patrat?
At mihi veloces, ceu planta praepete cursor,
Praeteriere dies, aetas foecunda malorum,
Fertur ut aequoreas agitata carina per undas,
Aut aquila ut visam pedibus procul ~~[illegible]~~ involat escam.
Si quando mecum tacito sub pectore dixi,
Haud equidem ulterius curas meditabor inanes,
Nec ducam vultus, animumque aliquando levabo,
Continuo nova mi facies oblata malorum est
Quae mestos, atque animis damans tum denique sensi
Quod neque sic culpa vacuum patiatur haberi.
Impius ergo feror? quo tot discrimina ~~vit~~ rerum?
Atque exantlati nequicquam saepe labores?
At si me penitus perfudero rore vinali,
Abluero que manus puras cum fluminis unda,
Mox caeno immersum me deformabit olenti;

Et male turpabit tunicæ candantis honorem.
Haud etenim eſt homini ſimilis, cui dicere contrà
Auderem, quamque ipſe aſſertum in iure vocarem,
Nec quiſquam eſt qui nos pacto bonus arbiter æquo
Iudicet, aut tantam poſſit componere litem.
Auferat afflicto tollat de corpore plagam,
Terroremque animis aliquando his exuat omnem,
Tum loquar, adverſaque Dei ſecurus ab ira
Fortius audebo iuſtæ confidere cauſſæ.

Idem Jobůs.

Cap: X.

Nůnc piget hanc animam cœli conůexa tůeri,
Qůicqůid adhůc superest, per mæsta silentia ůitæ
Dedůcam, ⁊ lůctůs ægro miscebo dolori.
Ne me consortem ne me pater optime diůům
Impietatis agas, potiůs rem iůre doceto,
Et qůa ůertatůr mea controůersia cůlpa.
Qůid tibi profůerit, nihilům sic ~~qůod~~ tale merentem
Opprimis, & manůům perdis monimenta tůarům?
Impia qůo firmes praůi consůlta magistri?
Nům tibi corporei růtilans est lůminis ůsůs?
Aůt aliqůa hůmano cernis mortalia more?
Sůntne dies ůelůti nostrorům est ůita dierům?
Aůt ůt terrigenæ lůcem nůmerabis in annos?
Ut patratæ meæ perqůiras crimina ůitæ,
Qůæqůe inconstantis fůerint delicta iůůentæ?

Te cuius sermo potens opponere dextræ
Testor ut innocuo transegi tempora cursu.
Tu me finxisti, tu quantum est corporis huius
Formasti, & subita me nunc consumis ab ira.
Quæso animis cape quod de puluere finxeris olim
Atque olim uita functum me puluere sternes.
Sic adeò me fudisti, cum lacteus humor
Funditur, & tamen durata coagula testa,
Hac pelle, atque isthac conuexisti corpora carne,
Ossaque, perque suos posuisti uiscera neruos.
Tu mihi quodcunque hoc uitæ, sortisque benignæ
Concilias, animæque meæ fomenta ministras.
Nosti animo, nec me, quamuis hæc omnia uultu
Dissimules, fallis, sed tecum singula uoluis.
Si quid delictum est, tu protinus ipse notasti,
Protinus & celeri factum pede pœna secuta est.
Vt malè agam, dolor est præsto meditatus agenti,
Vt benè agam, capiti tollendo copia non est,
Sic premor infamique malo, cumuloque laborum.
Vt leo desertis prædam uenatur in agris,

Sic urges, sic deinde nouo me more fatigas,
Hinc iam producis testes, furor inde calescit,
Atque aliæ ex alijs veniunt longo agmine plagæ.
Ad quid me grauidæ duxisti matris ab aluo?
Mallem equidem nunquam liquidas prodisse sub auras
Illorum similis, quos alta obliuio condit,
Aut simul exissem, simul hinc ad busta redissem.
Quis vitæ mihi finis erit, quæ meta dierum?
Nunquid erit modus, aut requies optata, priusquam
Hinc abeam, superas nunquam rediturus in auras?
Obscuros manes, mæstas legatus ad umbras,
Pallentes umbras, densa et caligine pressas.

Zophar Nae-
mathites
Cap: XI.

Tandem alios tot iam nugas ⁊ inania verba
Eructans audi, nec scilicet omnia fando
Te vicisse putes, nec te auscultare loquentem
Omnibus est animus, nec quicquam dicere contra,
Nec te pro libitu convicia fundere fas est.
Tune etiam ante Deum clamans te dicere iustum
Ausus, ⁊ ante oculos caelestes labe carentem?
O utinam tibi summe pater nunc foedere vocem,
Et captam misero libeat recludere mentem.
At non ista tuas aequant incommoda culpas,
Plura ferenda forent tibi, si Deus arbiter aequus
Pendat ad exactam penitus tua crimina lancem.

Tunc Dei occultos animo rimabere sensus?
Quaeque sit aetherei ~~[illegible]~~ virtus incognita Regis?
Quid facias? ille et caelos et sydera supra est,
Quidve scias? manes scrutatur et infera regna.
Non illum tellus ambit, non aequora ponti,
Omnia si fundo vertat, si misceat imis
Summa, quis impediat libitu diversa gerentem?
Et non respiceret iusto mortalia nutu,
Et quando hominum motus animosque feroces?
Ut sese frustra tollunt, et inanibus ausis
Brutorum similes prava ratione feruntur?

At tu divinis animum componito iussis,
Atque Deum: veniam passis exposcito palmis,
Si qua tuis haeret manibus vitiosa libido,
Mitte procul, pravamque domo depellito labem,
Sic oculos vivus attolles, fixusque manebis
Sede tua, nec deinde metus horrebis acerbos.

Tunc dolor hic animo cedet, neque deinde recurret,
Non magis ac ſurſum redeat qui defluit amnis.
Vita tibi medio Solis fulgentior ortu,
Et matutina mutabis luce tenebras,
Sic te ſpes animo paſcet ſecura iacentem,
Ocia ſic duces foſſa circundatus alta,
Sic utramque iacens requieſces tutus in aurem,
Atque alios tibi uota precesque offerre uidebis.
Impius interea cupidis ſucceſſibus expers
Concidet, at animo ſpes exercebit inanes.

Iobus

Cap: XII.

Vos adeo vos estis enim, qui talia norunt,
Omnis vobiscum rerum sapientia obibit!
Est etiam experiens animus mihi corpore in isto,
Non ego me vobis reputo virtute secundum,
Ecquis enim est adeo stupidus qui nesciat isthoc?
Ast ego contemptus ⁊ sannis udut æger amicis,
Expositus rogitabo Deum, Deus ista rogantem
Audiat: hæc ferme insontes incommoda versant,
Ut fato afflicti præstent ludibria stultis,
Instar ⁊ exiguæ modico cum lumine tædæ
Apparent illis, quos vana superbia tollit,
Verum ibi se titubata pedum vestigia lædunt.

Fortunata sedent intra sua limina fures,
Et vivunt melius qui cælum ⁊ sydera temnunt,
Ac superat rerum facili bona copia eorum.

Si nescis, rogita pecudes, celeresque volucres,
Seu terram manis, & pisces æquore nantes,
Hæ stolidum erudiant, rerumque oēm ex ordine pandent.
Quis dubitat Deus ipse quod isthæc omnia condat?
Quicquid ubique viget, viva quod vescitur aura,
Quicquid & humani est, manibus tenet oīa solus.
Verba quidem tenera facunda probantur ab aure,
Condimenta cibi sunt discernenda palato,
Et nobis patres antiquos prudentia fixa est,
Nec dubitatis enim solos sapere omnia canos:
At mihi te solum prudentem & dicere fortem
Alme pater, solum sapere, & nosse omnia solum
Relligio est: quo quis quæso frangente reponet?
Atque viri mentem quo quis claudente recludet?
Qui simul imbriferos cōpresserit ætheris amnes,
Protinus arentes videas tabescere campos,
Mox ubi se laxis cælo tulit amnibus imber,
Sternuntur passim sata læta boumque labores.
Illi plana sedet virtus, ratioque gerendi,

Fraudatum ſimul ille tenet fraudeſque parantum,
Conſultos hominum ceu prædam ducit opimam;
Faſcinat ⁊ docti malè ſanas iudicis aures,
Imperij nexus ⁊ Regum iuſſa reſoluit,
Arctaque compreſſis circundat cingula lumbis,
Sacrorum proceres abigit, fortesque retundit,
Eripit ⁊ ſenibus ſenſus ⁊ uerba diſertis
Contemptu exponit reges, ⁊ pacta potentum
Fœdera perrumpit, tenebris adoperta reuelat,
Pallentesque umbras cælo producit opaco,
Colligit, ⁊ ſpargit populos, beat, angit eoſdem,
Inuoluit procerum mentes ⁊ ſenſa regentum,
Incertosque uiæ deſerto limite ducit,
Vt medijs palpent tenebris, ſine ſole uagentur,
Ebriaque inſtabili titubent ueſtigia greſſu.

Idem Jobus.

Cap: XIII

Scilicet hæc oculis iamdudum, hæc auribus hausi,
Hæc agitaui animis, uobiscum intelligo idipsum,
Nec minor ac uobis nostro experientia cordi est.
Verum ego Rectorem late stellantis Olympi
Affari cuperem uerbis ⁊ nectere litem.
At uos hæc alio trahitis, mentemque superbam
Arguitis, uanis medicantes uulnera dictis.
Atque utinam instabilem linguam premeretis ⁊ ora,
Afferrent aliquam fors ista silentia laudem,
Quin monitus audite meos ⁊ dicta notate.
Siccine uos iactare Deum? sic illius ergo
Praua loqui? quum uos illi ostendisse fauorem
Creditis? illius uultis defendere caussam?
Ecquid erit mercedis? an hoc impune feratis
Omnia, si quondam examen reuocabit ad æquum?

Non illum humanæ fallunt ludibria mortis,
Atque adeo rapidam surgit vehementer in iram,
Si qua datur furtim perversæ gratia causæ.
Nunquid enim noster divini luminis æstum
Perferat intuitus? tantoque immotus honori
Subsistat? quin se magna formidine pressum
Sternat humi, cineri similem, similemque caducæ
Argillæ, nec enim facies divina ferendo est.
Sit mihi fas meditata loqui, neque me mea fallit
Ut reor hæc ratio, quo tandem hæc omnia frustra
Perpetior? quo tot magnæ discrimina vitæ?
Anxietas animi, & laceræ vestigia carnis?
Ipse licet manes adigat me fulmine ad imos,
Non tamen impavidæ deerit fiducia menti,
Nec verear mortem illi vitamque probare,
Nec dubito referat tandem fomenta salutis.
Non meruit talem pietas simulata favorem.
Audite hoc iterum atque aures advertite dictis,
Iam mihi iam decretum habeo, fixumque tenebo.
Me iustum & nullo maculatum crimine dices.

Ecquis id inficias ibit, litemue mouebit?
At nunc nequicquam pereundum atq; ore silendum.
Hæc saltem duo summe pater concede roganti,
Nec faciem post deinde tuam uultusque morabor:
Tolle manum quæ me plagis confecit iniquis,
Terroremque malum, quo pectus & ossa tremiscunt:
Tum liceat contra mihi dicere, uel mihi dicto
Responde, quot praua meæ sunt crimina uitæ?
Enumera quæso, atq; ex ordine cuncta recense.
Cur faciem tegis, atque hostili more fatigas
O pater insontem? folium quid namque caducum,
Arentemque premis calamum? ⁊ uelut oīa uersu
Describis commissa meæ delicta iuuentæ?
Crura tenes manicis constricta, pedesque ramicis,
Ut fragiles uideas gressus, uestigia seruas:
Tandem aliquando tamen medio res putrida cursu
Deficiam, uesti similis quam uermis adedit.

Idem Jobus

Cap: XIIII.

Vita homini breuis eſt, longis obnoxia curis,
Vt flos ſic oritur, ſic primo deficit ortu,
Inſtar & umbrarum motu euaneſcit inani.
At tu illum tanti reputas, ut iurgia uerbis
Inſtituas contra, quis purus habebitur inter
Impuros? Sed enim breuis eſt pars optima uitæ,
Et tu deſcriptos numeras ex ordine menſes,
Nec poſitam fas eſt homini tranſcendere metam.
Quid premis ante diem? potius requieſcat, ut olim
Defunctus fato deſcendat lætior umbras,
Vt qui conducta tolerauit luce labores.
Pinus ubi ualida ſuccinditur alta ſecuri,
Non ita ſpes omnes abigit, quin pullulet olim
Brachia frondeſcens, & ramos læta coronat,

Arida cum moritur enecto seminis radix,
Et lethalis agit macies se stipite condo
Mox humore novo patulas se tollit in auras,
Plantarumque modo terra reviresit ab ima.
Solus homo moritur simul, et sicut via fremum
Tumentes abeunt, rapido cum pontus ab aestu
Exundat, siccas mox deinde relinquit arenas:
Sic ubi lethali componit membra veterno,
Non prius excutiat molles e lumine somnos,
Nobile quam coelum, rapidus quam desinat aether.
O utinam torpentem Erebi me carcere claudas,
Dum furor expirat, tua dum deferveat ira,
Et quandoque mei revocet ad pectora curam.
Ecquis functa semel luci sua corpora reddat?
Ipse quidem assiduus agito cen miles in armis,
Dum mea fatali decurrant tempora lapsu,
Ut me deinde voces, redimunum, et verba ferentem
Advertas, manuum reputans monimenta tuarum.

200

Iam nunc emeriti numeras vestigia cursus.
Haud adeo peccata notans, quorum omnia passim
Colligis, et passim accumulas, et condita servas,
Cernis ut aetheriae rupes atque ardua montium
Deficiant, quandoque loco convulsa ferantur,
Unda cavat lapidem, tellus humore fluenti
Exigitur: quae spes homini relicta tot inter
Aerumnas curasque graves? Sic acrius illi
Insistis, vultumque et laetae frontis honorem
Immutas, tenuesque paventem solvis in umbras,
Ignarum quae deinde suos fortuna nepotes
Excipit, adversamne ferant sortemne secundam:
Illum autem assiduae comitantur corpore in isto
Aerumnae, tristique animum maerore fatigant.

Eliphas Themanites.

Cap: XV.

Hæccine prudentem uanas imitantia bullas
Verba decent, plane ructantem pectore uentos?
Talia nec recti normæ neque congrua uero
Fundere, uneſutis nil proficientia dictis?
Nec tibi relligio cordi? neque magna uereris
Numina? ⁊ ipse tuum proprio iam dedecus ore
Prodis, ⁊ insanam meditaris ad improba uocem?
Non ego, ſed tua te propriæ fiducia linguæ
Damnabit, tua te uictum ſententia fundet.
Tu ſuperas homo prodiſti primus in auras?
Alta prius quàm ſe ſtrauere cacumina montium?

Aut arcana Deûm tacitas consulta per auras
Misisti? teque ipsa minor sapientia tota est?
Ecquid deinde sapis, quod non sapiamus ⁊ ipsi?
Ecce senes, prudens quibus experientia canos
Erudit, hi mundo tuos uincere parantes.
At diuina tibi forsan solatia sordent,
Occultumque aliquid tanto sub pectore uoluis.
Tantane te stolidi uersat dementia cæpti,
Tamque supercilij se uana superbia iactat,
Ut prauos animos ⁊ cælum ⁊ numina contra
Attollas? tantumque tuo scelus excidit ore?
Ecquis homo est animi dira qui labe careat?
Ecquis ⁊ innocuus quem fœmina protulit aluo?
Nam neque cælicolæ penitus sunt labe carentes,
Nec quæ sydereo perfecta est machina cultu,
Quo minus humanos reputes sine crimine sensus,
Quos innata suos uitiorumque alta libido
Et scelerum ingesto penitus cum gurgite complet.
Hoc te adeo paucis animos aduertite docebo,

Quæque ipse expertus, quæque olim oracula vatum
Audivi, vatares isthæc docuere parentes,
Cui degni imperio gentem regere superbam,
Ut patrios nunc fines peregrinus obirat.

Impius æterna qualiter formidine mentem,
Et trepidi numerant vitæ momenta Tyranni,
Assiduus pavidis circumsonat auribus horror,
Pacem inter mediam gladios & tela tremiscit,
Ante oculos tenebræ obversant & mortis imago,
Jamiamque exitio venturum cogitat hostem,
Per mare per terras victum corradit avarum,
Angitur incerto timidus discrimine fati,
Undique vis trepidæ mentis, timor undiq cingit,
Et male terribiles prorumpunt agmine curæ,
Non secus ac rapidis exercitus ingruat armis.
Namque manu cælum demens oppugnat inani,
Contenditque Deo frustra, frustraque rebellat
Cervice Obnixa ~~capite~~, & nequicquam prælia miscet:
Tum faciem nitida densam pinguedine iactat,
Et fortes laterum tractus, vastosque lacertos,

Olim autem degat uaſtata ſolus in urbe,
Deſertaſque domos capiet, ueteresque ruinas
Murorum, nec opes ſtabiles, nec copia rerum
Ditabunt, neq; fama uirum neq; gratia tollet,
Tantum autem in tenebris latitantem ⁊ dira ferentem
Depaſcet dirus ſubito furor excitus igni,
Splendoremque oēm rapido conſumet ab æſtu,
Inſtabilis, multumque tremens, huc errat ⁊ illuc
Errabundus agens, celeres mutatur in horas:
Occidet ante diem, nec poſt ſe deinde uirentem
Relinquat ſobolem, parcam ſortitus auaram.
Ut malè maturæ labuntur uitibus uuæ,
Aut malè ſeruati flores pinguentis oliuæ:
Sic adulatorum uacuos gens praua penates
Exibit, tum flamma domos ⁊ ſplendida tecta
Conſumet, quicunque dato malè munere gaudet,
Qui grauidam geſtant ſcelerato pondere uentrem,
Eÿciantque nefas, ⁊ dignos ſemine fructus.

Iobus

Cap: XVI.

Sæpius hæc ~~iam nimis feſſas~~ feſſo patulas uenere per auras,
Et uos hæc eadem toties iterare moleſtum eſt.
Nam quam deinde modum uentoſis ponere dictis
Eſt animus; uel quæ ſubijt tam dira libido
Culpandi? poſſem ipſe etiam tot fundere uerba:
At ſi uos eadem, quæ me, fortuna tuliſſet,
Ipſe equidem alloquio caſſus dignarer iniquos,
Et quaterem caput, ⁊ morbo ſolatia ferrem,
Atque aliquam forſan partem mea dicta leuarent.
Nunc ego ſiue loquor, non eſt modus iſte laboris,
Seu taceo, nec ſic animis dolor exijt ægris.
Tum pater omnipotens ~~[illegible]~~ nimia me mole fatigans
Rem totam exhaurit, macilentaq corpora rugis
Exarat, hoc ipſo teſtans quo crimine plectar.

Interea rapidis irarum fluctibus ardent,
Cum mihi dira vovent, ⁊ dentibꝰ aspera frendent.
Dum spectant, gaudent, oculisq; adversa micantes
Assurgunt hostes, patulo tum turpia rictu
Ora trahunt, malas pulsant, odia aspera sevis
Exaturant animis: generi sic trador iniquo
Vexandus, sic me captum manus impia tractat.
Dives eram qui nunc sortem deiectus ad imam
Disperso, sic me contorta fauce prehensum
Stravit humi, visumq; fuit me ponere metam
Spicula quo tendat, quo missis undique telis
Viscera collimans, renes cum felle profuso
Confoderet, feceratq; novum de vulnere vulnus,
Sic pugnans, quo more solent pugnare Gigantes.
Ipse autem rigido circundans corpora sacco
Delitui, ⁊ foedo penitus me pulvere mersi,
Præ lacrymis facies tumuit, densæque feruntur
Ante oculos tenebræ: quamquam temeraria nunquam

Cœpta manū aggressus, pueris quāquam oīa notis
Exolui: sin quod facinus crudeliter egi,
Ne precor ô ne terra meos absconde furores,
Sed pateant cædes, & si qua iniuria facti est,
Ne pater has audito preces: ego sidera testor,
Et qui summa colit lati stellantis Olympi,
Et uos praua mihi ludibria fertis amici?
Interea ~~Ipse autem~~ mecum tacitus mea uota recordor,
Imploroque Deum, & lacrymas flumina fundo.
Difficile est pugnare Deo, non talia certant
Inter sese homines, ueniuntur ad iurgia fratres.
At nunc fata meos clauserunt limite cursus,
Ingredior que uiam, qua nunquā deinde reuertar.

Idem Jobus

Cap: XVII.

Spiritus immerito feſſus iam deficit hauſtu,
Deficit ipſa ætas, ſolum iam buſta ſuperſunt.
Haud equidem fraudes, fuerat dum vita, peregi,
Hoc tamen ærumnæ iam ipſo ſub fine ferendum eſt.
Commiſſa ſpondebo manu, mea pignora ponam,
Iudicis arbitrio ſi non evicero cauſſam.
Sed tibi quis pro me tandem vadimonia præſtet
O pater? his etenim mentemque animumque negaſti,
Ergo me obſcurum caput alto vertice tollent.
Quiſquis multa ſuo fruſtra blanditur amico,
Opprimet ipſius præceps infamia natos.
Aſt ego ſum fato expoſitus, ceu fabula vulgi,

Portentumque alijs, alijsque exempla daturus.
Mæror & eximium formæ, & decus ōs innantæ
Exuit ~~Abstulit~~, umbrarumque instar membra ægra trahuntur.
Scilicet hæc iusti quandoque exempla secuti
Pugnabunt prauis, aliud qui pectore condunt,
Ore aliud promunt, recto neque tramite uitæ
Discedant, moresque colant constanter honestos.
Vos agite hunc omnes, pariterque assistite circum,
Nullumque quidem nostrum sapientem dicere possum.
Præteriere dies uitæ, pariure sagaci
Consultata animo, tantum mihi pectora uersant
Insomnes curæ, lucem pro nocte ferentes,
Et uigilem reuehunt post dira insomnia solem.
Vt paulum moror, infernis tamen oia regnis
Concedunt, hic umbrarum sub nocte latebo,
Atque ualent cranio condam sub busta paterno,

Et vermes veluti matrem charamque ſororem
Amplectar, quid namque moror? q̄ ſpes mihi reſtat?
Omnia ⁊ infernus conſumet, ⁊ oīa pulvis,
Hic poſitus tandem placida cum morte quieſcam.

Baldadus Suhites

Cap: XVIII.

Ecquis erit modus hæc iterumque iterumque patandi?
Ut tandem nobis etiam quid postulet usus.
Effari tuto liceat? pecudumne censemur
Consimiles? aut sana tibi sententia sordet?
Quo tandem demens cruciaris ⁊ ilia rumpis?
Te propter stabilis rerum mutabitur ordo?
Transpositaque loco rupes ⁊ saxa movebunt?
Impius haud unquam gaudebit luce serena,
Æternum latitans tenebris, per limina tecti
Nox operit Solem, ⁊ rutilam caligo lucernam.
Desinet optatis rerum successibus uti,

Conſilijsque ſuis peſtem conflabit acerbam.
Quippe pedes hærent laqueis, ⁊ retia greſſus
Implicitos cohibent, nec ſeipſum exoluere inges,
Donec humi ſerpens auido prendatur ab hoſte.
Hinc illum inſidiæ fallunt pedicæque latentes,
Hinc pauor ⁊ ſubitus cinxit latera oīa terror,
Nec via nec ratio eſt in tuto ſiſtere greſſum.
Illi dira fames pretio eſt, ⁊ certa malorum
Luxuries, nitidamq́ cutem ⁊ pinguantia membra
Vis inſana ſuorat mortis, fiducia rerum
Omnis agat ratio, tum crudeliſſima lethi
Verſabit facies: aurata palatia tecti
Et nitidas poſtes hæres peregrinus habebit,
Qui rutilo exaurat laquearia fulta metallo,
Funditus ⁊ radix areſcet ſtirpibus imis,
Quicquid ⁊ enatum eſt ramos meſſemq́ recident.
Nulla virum quondam celebratæ gloria vitæ
Excipiat, neque fama vehet laudata per Vrbem.

Ex hominum cœtu, clarorum ex luce virorum,
Ejiciatur segnis, totoque fugabitur orbe,
Nec genus aut charos ducat de gente nepotes,
Nec suus iniustè possessa tuebitur hæres.
Illius horrebunt immania fata minores,
Et qui præsentes mortem vidêre superbam.
Impius hanc patitur sortem, hic manet exitus illum
Qui neque divinos monitus neque numina curat.

Iobus.

Cap: XIX.

Nunquid ⁊ afflictum hunc animum sermonibus ultra
Protrahitis? tot iam uocibus conuicia passum
Turbatis penitus, nec uos pudor abstinet ausis?
Si tamen erraui, neque uos meliora docetis,
Nil iam proficio, ⁊ causas habet error honestas.
At uos multa modis miserum uexatis iniquis
Haud merito, ⁊ uestro adijcitis mala probra dolori.
Accipite hoc saltem: Deus est iniurius in me,
Ille uelut longa seruatum indagine cingit.
Vim querar? at non est qui curet multa querentem,
Iustitiam implorem? sed nullo iure tenetur.
Nunc aliquo elabi tentem, loca lata uiarum
Obsepsit penitus, tenebrisq iter omne per horrat.
Nominis egregiam laudem, capitisque corona

Exuit, atque omni privatum abiicit honore,
Et mihi spes rerum radicitus eruit omnes.
Illius in miserum penitus furor ardet, et hostem
Insequitur, fortemque manum magno agmine ducit
Bellantum, circumque lares mihi castra locavit.
Inde procul fratres abiere, atque inde propinqui
Abscedunt, fractis fugerunt rebus amici,
Nec famuli, nec me iam turba domestica curant,
Et velut ignotum aut peregrinum in pulvere linquunt,
Dedignatur herum servus, spernitque vocantem,
Improbus ille etiam mihi supplice voce rogandus.
Quin etiam mea me quondam fidissima Coniux
Aversatur, ⁊ haec fastidit sorde maritum.
Quos genui hos etiam nequicquam imploro, nec illos
Deplorata movet miseri fortuna parentis.
Atque etiam insanis trahor ad ludibria stultis,
Qui iactant in me voces ⁊ scommata fingunt.

Quicquid dulce mihi quondā fuit, aut mihi charum,
Nunc bilem mouet, atque odijs infestat amaris,
Rebus ⁊ in peius uersis uertuntur amores.
Atra mihi macies uix pellem atque ossa reliquit,
Et uix ista tegunt nudos uelamina dentes.
Vos saltem o nostri miserum miserescite amici,
Diuīa mihi tantas infligit dextera clades.
Nam cur uos etiam premitis tot iam mala passum?
Nec uos exatiat culpandi sæua libido?
O utinam hæc aliquis scriptis ⁊ carmine condat,
Aut ferro insculpat, duroue in marmore scribat,
Vt superent æterna mei monimenta laboris,
Fataque uenturis relegenda nepotibus olim.
Hoc tamen est persuasum animis, hoc pectore fixum,
Æternum uiuit Vindex meus, ille sepultum
Tollat humo, ⁊ bustis uiuum reuocabit ab imis,
Atque hoc pelle sua tum non lacrÿmabile corpus

Induat, indutus hoc ipso corpore nunam,
His oculis spectabo Deum, mihi scilicet ipse
Spectabo, haud aliis oculis, sunt plurima quanquam
Nunc ægris superanda animis: Cur vos mihi tandem
Nectitis exitium, ⁊ damnandi quæritis ansam.
Credite ⁊ ultorem gladium, quibus improba pœnis
Crimina plectantur, nec sunt sine indice lites.

Zophar Naemathites.

Cap: XX.

Sic equidem paucis tibi respondere loquenti
Cogor, ⁊ hæc quamuis per turpia dicta refellas,
Me tamen ⁊ ratio ⁊ doctæ prudentia mentis
Erudiunt: nescis hunc primum ab origine morem?
Donec lata suis habitata est terra colonis,
Impia quod modico clauduntur gaudia cursu,
Et simulatorum est breuis ac fugitiua uoluptas?
Improbus ~~⁊~~ et quamuis sublimi uertice cælum
Attingat, quamuis caput inter nubila condat,
Tandem ibit proprio pariter cum stercore pessum,
Qui uidere uirum, quo fugerit inde, requirant.
Ut nocturna leui fugiunt insomnia motu,

Vanaque terrificis volitant simulacra figuris:
Sic subito perit, haud isthoc spectandus honore
Amplius, aut iisdem quibus ante sedibus hærens.
Illius at gemens & miseri quandoque nepotis
Emendicato pascuntur corpora victu,
Hic operum fructus, manuum tristissima merces.
Nutriit ipse suis delicta occulta medullis,
Et secum manes moriens gestabit ad imos.
Prima quidem facilis visu & iucunda libido
Illecebris adigit scelerato guttura pastu,
Mox autem tristis sensu torquebit amaro
Ora sapor, medioque hærent semesa palato,
Aut si quid vacuam sitiens demisit in alvum,
Sauciat immissum ~~[illegible]~~ gelido sub pectore virus.
Quas absorpsit opes luxu superatus iniquo
Evomet, & saturo pulsas de gutture reddet,
Vipereo dirum sugat de felle venenum,
Aspidis & morsu fungetur fata trilinguis.

Non amnes butyro cernat nec melle fluentes,
Multa laborabit fruſtra, fructumque laboris
Congeſtas ⁊ opes ingratus deuorat hæres,
Ipſe nihil partisue opibus nummisue fruetur.
Hic olim malè deſeruit, malè preſſit egenos,
Diripuitque domos quas non extruxerat ipſe,
Nec uacuos animos explebat dira cupido
Ergo nec ipſe ſuis rebus gaudebit opimis,
Et nihil ex tanta quidam ſuperabit opum ui,
Nec malus æternum luxu gaudebit inani.
Atque illi pleno ſuperat bona copia cornu,
Angitur, ⁊ uarias ſurgunt magno agmine curæ,
Dumque cuti ſtudet explendæ, Deus excitus alto
Ingeſſit irarum paſto uehementius imbres.
Ferrea dum tremit arma, tremendum conficit arcus
Æreus, ⁊ ſtricto fodietur uiſcera ferro,
Actaque perque latus, perque ilia cuſpis obibit.

Terrores inter medios animumque pauentem
Mille premunt mortis uario diſcrimine formas,
Et nullis tenebris ſerua abſcondatur ab ira.
Non illum humanis excitus follibus ignis,
Lapſa ſed irato depaſcat ab æthere flamma.
Quiſquis ei ſupereſt fato abſumetur eodem,
Non cælum ſcelus hoc patitur, non ardua tellus.
Quicquid opum, quicquid cenſus felicis abundè eſt,
Omnia diuini conſumet flamma furoris.
Talia debentur ſceleratis præmia factis
Lege Deûm, tali plectuntur ſorte maligni.

Iobus

Cap: XXI.

Audite hæc etiam quæſo atque aduertite dictis;
Dum loquor, ⁊ ſanis paulum ceſſate ſuperbis.
Non homini pugno, ut rapido ſibi ſpiritus æger
Temperet affectu, uerum hoc quoque cernitis ipſi
O ſtupidi, admotaque manu compeſcitis ora?
Ipſe animis quoties repeto, mox turbidus horror
Ingruit, ⁊ pauidos gelidus tremor occupat artus.
Cur adeo facilem ducunt gens impia uitam
Ad ſenium? pollent opibus, felixque propago
Natorum ſtipat latus, atque ante ora parentum
Verſantur, ſecura domus, neque numinis læuo
Afflicta eſt, pleno creſcunt pecuaria fætu,
Nec fruſtra ad prolem mittunt armenta creandam,

Lætaque natorum soboles, lætique nepotes
Exultant, taurea uituli cum matre gemelli,
Exercentque choros, festo quos tympana plausu
Inuitant, cytharæ, & bifori uaga tibia cantu.
Illis & felix senium, & lacrymabile fatum
Momento exigitur, quibus est diuina potestas
Contemptui, monitusque Dei legesque beatas
Abyciunt, nam cur tibi conditor optime cultum
Exhibeant? quemque inde ferant pietatis honorem?
Attamen hæc alio consistunt omnia uentu,
Nec rerum est illis fiducia certa suarum.
Sed mihi ne tales libeat sectarier artes,
Impia sic quondam in cineres opulentia uerget,
Sic illos subitis immanis fortuna procellis
Opprimet, & diuina suos trahet ira furores.
Ut paleas uentus, stipulas tulit aura uolantes,
Sic pereunt, Deus hanc gnatis generique reseruat
Olim post obitus sortem, plenaque rependet

Digna æquâ

~~Cuncta~~ manu, meritisque suis ~~sua~~ fata ~~videbunt~~ capessant,
Mistaque divini potabunt pocla furoris.
Afflictæ quæ deinde domus monimenta relinquent?
Ante diem ⁊ mediæ consumpti flore iuventæ?
Et quisquam secreta Dei consulta reprendit?
Iudicat ille etiam sublimi sede locatos.

Hic anni satur, ⁊ validis a corpore fretus
Viribus, ac opibus pollens, rebusque secundis
Immoritur felix, cui plenis ubera mammis
Lacteus humor alit, turgentiaque ossa medullis:
Ille animam mæstis curarum morsibus haustam
Exuit, haud unquam fortuna molliter usus,
Et pariter latitant ambo sub pulvere mersi,
Et miser ⁊ felix inimico a verme vorantur.

Novi equidem vestræ quæ sit sententia mentis,
Quidque animis contra iamdudum agitetis iniquis,
Nempe, ubi magnificis extructa palatia tectis,
Aut habitata malis operoso regia cultu!

Quæritis, inſipiens cur hæc oratio uulgi
Ignari rerum, ~~quem tangant~~ capiant quem talia finem.
Scilicet exitio, ſæuæque furoribus iræ
Seruantur prauæ, quæ iudicat omnia ſolus
Euantus ſapiens, nec tu mihi dixeris ante
Quo quisquam dignus ſit malo indignusue putetur.
Omnes æquali ueniunt ad funera paſſu,
Et recubant inter congeſta cadauera buſtis.
Hic dulcis requies, uiridique in ceſpite lecus,
Huc properant longa ſerie qui deinde ſequuntur,
Et qui olim antiqui uixere prioribus annis.
Quæ mihi ſunt ergo ueſtris ſolatia dictis?
Quidque opus eſt falſis uerborum ambagibus uti?

Eliphas Themanites.

Cap: XXII.

Quo pater omnipotens humanæ robore dextræ
Indiget? aut terrena Deo sapientia prodest?
Credo mihi frustra propriæ pietatis honorem,
Et uitam iactas nequicquam labe carentem,
Nec Deus idcirco meritas pro crimine pœnas
Differet, aut aliquo ponat sub iudice causam.
Neu credas omni penitus te labe solutum.
Multa adeo immanis uitijs commissa nefandis,
Forsitan innocui cepisti pignora fratris,
Nudaque subtracta spoliasti corpora ueste,
Defessis solamen aquæ, panemque negasti.

Ieiunis, tua te uiolentia magna potentem
Extulit, ac latos duxisti tua regna per agros,
Non opibus uiduas, non spe solatus egenos,
Res pupillorum manibus depastus auaris.
Inde latus magna cingunt indagine curæ,
Et subitus pauida uenit formidine terror.
Et quereris nulla perpessum talia culpa?
Immeritò pressum? ⁊ tantis te fluctibus haustum?
        At pater omnipotens tectum sublimis Olympi
Incolit, ⁊ latos stellarum digerit orbes,
Tuque illum curare negas mortalia facta?
Nec res rimari densa caligine septas?
Scilicet occurrunt nebulæ, ⁊ latet æthere in alto
Abditus, ⁊ cœli spaciosis orbibus hæret.
Non etiam prisci meministi tempora secli?
Ut traherent homines prauæ commercia uitæ?
Quos pater ante diem uehementi motus ab ira
Perdidit, & sceleratum absorpsit fluctibus orbem.

Illi etenim pugnare Deo, neque iungere iuſſis
Aſſueti, & placidi contemnere numinis iras,
Innumeros quibus ante bonis, quibus ante bearat
Limina diuitijs: abſit me talia prauo
Sectari ſenſu, iuſtus lætabitur horum
Excidio, & tacita componet gaudia mente,
Gaudebit prauam ſobolem gentemque ſuperbam
Funditus euerti, rapidas & paſcere flammas.
At tu ſupplicibus uotis expoſcito pacem,
Et te perpetua rerum bonitate fruentem
Saluabit, tum tu diuinæ oracula legis
Diſce libens, animumque pijs ſermonibus imple.
Sic ubi te greſſu referes conuerſus iniquo,
Fundamenta tuæ pones immota ſalutis,
Et procul a foribus labem, procul inde repelles
Semina nequitiæ, magnoque aggeſtus aceruo
Theſaurus fuluo lætum ditabit ab auro,
Atque auri circum montes & flumina fundet.

Ipſe tibi uires hoſtilibus obuius auſis
Suggerat, argentumque oppleta confluat arca.
Omnis in ætherio ſtabit tibi cura parente,
Supplicibusque feres uultus ad ſydera uotis
Oratum, orantem cælo te exaudiet alto,
Omniaque auſpicio perſolues uota decenti,
Quicquid ages | prouehet fortuna ſecundo, [ſtabu
Et tua per claram ducet ueſtigia lucem.
Nam qui ſeſe humiles agitant, ac infima ſeruant,
Deiectoſque in humum uultus & pectora ſternunt,
Hos ſaluabit, & hos ſublimi in ſede locabit.
Iuſtus ab exitio populos tutatur & urbes,
Tutatur uerò manuum probitate ſuarum.

Jobus

Cap: XXIII.

Nondum etiam mæſtis ceſſant mihi verba querelis,
Nec ~~poſſum~~ dignum eſt gemitu grandes æquare dolores.
O utinam rimari illum mihi copia detur
Quærendo, et ſacram ſit fas accedere ſedem,
Certius ipſe illum noſtræ ~~fundamenta~~ diſcrimina cauſſæ
Inſtruerem, et duris implerem vocibus ora,
Saltem quid referat, ſaltem quid dicere contra
Cogitet experiar, modò ne me viribus iſtis
Ingruat adverſum, aut nimia me mole fatiget,
Quin æquis potius litem mihi conſerat armis,
Haud dubitem ipſo illo ſub iudice vincere cauſam.
Verum ego ſeu roſeos convertar Solis ad ortus,
Seu ferar occaſum, nuſquam eſt, veſtigia nuſquam:

Nec si quid læua aggreditur cognoscere promptum est,
Nec si qua dextra latitat comprendere quibo,
Ipse meos autem nouit gressusque uiasque.
Si tamen explorat mores, uelut igne metallum
Spectabor, sic usque pios mea semita gressus
Sectata est, pedibus nec quoquam ad deuia flexi,
Nec mala diuinis quoquam uestigia iussis
Transuersum uerti, penitusque ea sensibus imis
Mandata abscondi, ⁊ nunc mecum condita seruo.
Ipse sibi constat, similis sibi semper, ⁊ idem,
Quicquid agit, constanter agit, nec uertitur ulli,
Et nihil est quod non diuina potentia patrat.
More isthoc etiam nostri discrimina fati
Dirigit, ac meritis pænam licet exigat æquam,
Non tamen ex aliis descendunt crimina causis.
Hic timor exanimi pauidum formidine pectus

Impulit, ac trepido fluitant præcordia motu.
Ipse manu magna magnis terroribus instat,
Nec mihi fas animum tenebrasq; euoluere umbris,
Aut densam excussa solui caligine noctem.

Idem Jobus.

Cap: XXIIII.

Quid dubitas adhuc celari tempora rerum?
Et solum prænosse Deum, non quos Deus ipse
Edocuit, quo pœna dies ventura malorum?
Sic moto videas mutari limite fines,
Furtivosque greges pasci, miserosque relictum
Pupillos deflere pecus, pro pignore captum
Flere bovem viduas, inopem sors aspera tangit,
Qui rebus latitat laribusque exutus avitis.
Impia gens autem veluti frendantis Onagri
Progenies passim sylvas obsedit opacas,
Vestigatque novi prædam sub lumina Solis,
Fœtibus, orignum victum, & solatia ventri.
Quotquot ager spicas, quot vinea protulit uvas,
Falce manuque legunt alienæ commoda messis.

Veſtibus exutos gelida ſub nocte relinquunt,
Ut ſævas tolerent hyemes, & frigora cæli,
Et, cum ſe fundit tempeſtas æthere ab alto,
Pro domibus cautes quærant & luſtra ferarum.
Quinetiam infantem plorantis ab ubere matris
Diripiunt, inopumque res & mala pignora captant.
At famulum videas ſine veſtibus ire per agros,
Exectumque famæ ſolitos haurire labores,
Quique oleum premit, ac calcatas ſordidus uvas,
Ora ſiti moribunda trahunt, hinc illa per urbem
Lamenta ingeminare, dolentque ex ululare cæli.
Et videt hæc patiturque Deus, neque pœna malignis
Obvia conſpicitur, qui lucem crimine damnant,
Exoſi puraſque vias greſſuſque beatos.
Ut iugulent homines ſurgunt cum ſole latrones,
Nocte domos fodiunt, furtoque operantur iniquo.
Ut ſervat tenebras, & noctibus errat adulter
Extra oculos hom̄, faciemque obumbrat amictu:
Sic lucem fugitant, tenebris quam primum & umbris

Exhorrent, denſaque premi caligine malunt,
Quam ſignari oculis, ſcelerumque occulta patere.
Nec tamen optata gaudent mercede laborum,
Sed breuis in morem fluuij labuntur inertes,
Deficiunt res exiguæ, neque mira cultu
Proficit, ac ueluti glacialis montibus humor
Liquitur, arentem terram cum calſior haurit
Phæbus, & abſumpto ſitiunt humore lacunæ:
Sic illos ardor Erebi, ſic haurit Orcus.
Sic pereunt, ut qui caſus miſeratur acerbos,
Nec maneat ſeros illorum fama minores,
Clauduntur tumulis, & uermes corpore paſcunt,
Ac ueluti cæſæ franguntur robora quercus.
Scilicet affligunt ſteriles, uiduamque relinquunt,
Imperioque uiros audent frenare ſuperbo
Mox domitos metuunt: etenim diſcrimina uitæ
Ante oculos, quamuis curas & uulnera mentis
Diſſimulant, quacunque tamen terrentur ab aura,

Consilia explorant, numerant momenta pietando,
Sed breuis est requies, sui utraque potestas,
Et tādem ad nihilum ex tāto redeguntur honore
Oppressi, ⁊ penitus conuulso robore fracti
Ut tenues prima culmi franguntur arista.
Ecquis ⁊ haec Daro nihil dicta negauerit esse?
Aut aliquid melius recta ratione docebit?

Baldadus Suites

Cap: XXV.

Qui mundum regit imperijs ⁊ fulmine terret,
Regnaque divino pacat sublimia nutu,
Quum suus innumeris exercitus ambit alis,
Omnibus ⁊ lucem cōicat, omnibus auras,
Is præ se quanquam introsa labe carentem,
Ex hominum numero, ⁊ muliebri ventre profectum
Prædicat innocuum? quin nec nova cornua Lunæ,
Stellarumque tener flagranti sydere fulgor,
Illius ante oculos omni sine labe feruntur,
Nedum purget homo pravæ contagia culpæ,
Massa putris terræ, reptansque in pulvere vermis.

Iobus.

Cap: XXVI.

Et quae tanta tibi stultum dementia versat?
Hisce Deum te stulte putas defendere dictis,
Scilicet alterius forsan virtutis egentem?
His patrocinijs se sentiet ille levatum,
Scilicet invalidi fractus torpore lacerti?
His tu consilijs summi decreta Tonantis
Constitues? rectaque Deum ratione docebis
Res agitare suas? quasi consultoribus istis
Indigeat, quasi nulla Deo prudentia subsit.
Quid seris, et frustra his oneras afflatibus auras?
Pallentes illum manes, Erebique profunda,
Et Stygij tremuere lacus, inamabilis Orci
Vestigat penitus faciem, et Plutonia ~~regna~~ claustra,
Excindit septem latissima regna Trionum,

Et uastam medio suspendit in äere terram,
Mole sua immotam, ⁊ librato pondere stantem.
At liquidas cohibet diffusis nubibus undas,
Nec tamen hæ liquidis nubes rumpuntur ab undis.
Ille tenet summi penetralia maxima cœli,
Et circumfuso uelauit ab æthere solium.
Hic metam præscripsit aquis, his finibus arcet,
Donec erunt uersis uicibus cum sole tenebræ.
Illius etiam attoniti trepidant fundamina cœli
Iratum, illi etiam maris alti infanda potestas,
Et mulcere feros fluctus, ⁊ tollere uentos.
Qui uirtute sua stellas pulcerrima mundi
Lumina, ⁊ australem sinuosis flexibus anguem
Effinxit, sed enim quota pars si cætera spectes,
Illius hæc operum nostras peruenit ad aures?
Ecquis inassuetam fractura tonitrua mentem
Perspiciat, tantique ferat miracula numinis?

Iobus

Cap: XXVII.

Per te ſyderei Rector ſublimis Olympi,
Qui præter meritum tantis me caſibus ægrum
Afflictumq́ premens longis mæroribus hauris,
Haud equidem uoces nequicquã ad friuola ſoluam,
Nec iuſtam uerbis cauſam inſectabor iniquis,
Dum memor ipſe mei, dum ſpiritus hos reget artus.
Sed neque pro ueſtris mea ſtat ſententia dictis,
Et prius hanc animam cum ſole relinquere certum eſt,
Quam non innocuos uitæ defendere mores,
Non ſic me non ſic ſanctæ uirtutis egentem
Accipite, aut iuſtæ nolentem fidere cauſſæ,
Sic mea nullius meminit mens conſcia culpæ.
Improbus eſt quicunque aduerſo talia ſenſu
Excipit, ⁊ noſtris pugnat contraria dictis.

Nam quid agat lucri? qua ſpe terit ocia terris?
Quantumuis grandes quæſtu cumularit acervos,
Cum Deus inviſis animam tandem auferet umbris,
Non illum nequicquam onerantem ſydera votis
Audiet, aut fractis addet ſolatia rebus,
Cui neque ſit pietas cordi, neque cura monentis
Ulla Dei, nec certa ſuis fiducia votis.
Huc animis agite, ⁊ divinæ oracula legis
Diſcite, ut ætherio vertant ſeſe omnia nutu.
Sin doctam erudijt nobis ſententia mentem;
Plena quid hæc varijs narrantur dogmata nugis?
Hac mercede mali gaudent, hac ſorte Tyranni,
Cum ſe iactabunt numeroſa prole beatos,
Hoſtili occumbent gladio, miſeriq nepotes
Eme dicato vix paſcent corpora victu.
Si quibus hoſtilis rabies ferrumve pepercit,
Ignota lucem functi condentur arena,
Nec ſolito matres plorabunt funera luctu.
Improbum immanes argenti condit acervos

Arte laboratas uestes, ostroque nitentes
Annis in argilla numerum, vel pulueris atri.
Congerit ille quidem studio, nummisque repertis
Incubat, ast aliquis domus melioribus auctus
Veste laborata lætus potietur ⁊ auro.
Tecta domus ventura, breues ut aranea telas,
Ædificat, structumque tam de marmore culmen:
Diues ubi æterno componet lumina somno,
Haud aliquid secum manes portabit ad imos,
Euigilans inopem tum se, tum denique rebus
Inueniet nudum, sic illum fluctibus atris
Horror agens, uestis ⁊ hyemis nocturna procellis
Auferet, ac ualidis turbatum flatibus Euri
Præcipitem rapient, ⁊ inani sede mouebunt,
Omnis ⁊ hæc illi series inimica laborum
Ingruet, hoc illum fato Deus urget acerbo,
Nec requies, nec certa malum fugitare potestas,
~~Soll~~ manibus plaudent ⁊ sibila tollent.
(Defunctos)

Idem Jobus.

Cap: XXVIII.

Sunt etiam argenti venæ, fulvique metalli;
Æra fluunt ſaxis, ferrum tellure recluſum
Eruitur, tandem ventum eſt in viſcera terræ,
Quasque utero egeſtat, Stygijsq; recondidit umbris
Effodiuntur opes, rerum incrementa futuræ.
Aſt alibi ignotis erumpunt fontibus amnes,
Per ſata, perque novas valles ⁊ ſaxa ruunt ſe,
Interdum ripis curſuque priore relicto
Mutavere vias, alioque feruntur in alveo.
Ipſa parens frugum tellus non condita ſolum
Semina producit, viridesque extrudit ariſtas,
Quin imis etiam quandoque exeſa cavernis
Flammam alit, ⁊ late paſcunt incendia campos.
Interdum gemmæ faciles, ⁊ pulveris aurei
Tolluntur glebæ, ſunt hæc abſcondita rerum;

Est iter ignotum, qua nullæ ivere uolantes
Nec uidit ætheria miluus sublimior aura,
Nec genus Affrorum potuit superare Leonum.
Cernis et euersæ sternuntur montibus orni,
Rupibus excelsis riui ducuntur aquarum,
Et nihil est quod non acies humana patrauit,
Ducitur in gyros sinuosis flexibus amnis.
Doctus iter medius, quicquid caligine pressum
Delituit, tandem humana profertur ab arte.
Verum ubi se diuina loco Sapientia condit?
Ecquis eam cælo, aut infernis eruat umbris?
Non illam manes Erebi nouere, nec illam
Vastior Oceanus latis complectitur ulnis.
Non aurum, nec eam cælatæ lamina massæ
Æquiparant precio, non illam quicquid ubique est
Gemmarum, quicquid uiridi Tagus aureus alueo,
India quicquid opum, quicquid misere Sabæi,
Æthyopum quicquid Cancri sub sydere tellus
Educat, hæc cunctis longè anteit interuallo.
Unde oritur uero? quo se pulcherrima celat

Diua loco? penitusue imis absconsa cauernis?
Non uiuentum oculis, uolucrum non obuia pennis,
Audierant famam manes umbræque silentes.
At pater omnipotens uariarum abstrusa uiarum
Nouit, ⁊ unde fluat, quo se Dea magna recondat.
Ille oculis etiam terrarum extrema iacentum
Lustrat, ⁊ ingentis quicquid sub lumine cæli est.
Cumque adeo primum uentos librarat in alas,
Et quo se infusus cohiberet limite pontus,
Fulguraque, pluuiasque, ⁊ fracta tonitrua cælo,
Descriptis prudens secreuerat omnia metis,
Hanc ibi tum uidit, uisam laudauit, ⁊ inde
Præbuit inuentu facilem, monuitque fideles
Sectari: timuisse Deum sapientia prima,
Et mores fugitare malos prudentia summa est.

Idem Jobus

Cap: XXIX.

O mihi si ueteres referat pater optimus annos,
Vtque olim secura quies, ⁊ præmia recti
Duxerat in medijs cælo lux orta tenebris,
Cum mihi uiuus adhuc iuuenili in pectore sanguis,
Cum Deus hosce laras præsenti numine adiret,
Turbaque natorum sese lætissima circum
Inferret, felixque beato copia cornu
Affluerat, resque optatæ cum diuite uictu.
Per mediam quandoque iteram uenerabilis Vrbem,
Meque foro intuleram pleno, stupefacta iuuentus
Cedebat, mediumque senes in sede locabant,
Conticuere uiri proceres atque ora tenebant,
Vnum me intentis oculis ⁊ voce notabant,
Felicem ante alios una omnes voce ferebant.

Namque mihi uitæ ratio ſanctiſſima cordi
Semper erat, ſemper noctuque dieque ſtudebam
Afflictos releuaſſe manu, iuuiſſe minores,
Gauderent miſeri, uiduæ ſolatia ferrent,
Hæc ut pro tunica uirtus mihi, proque tiara
Ius eſſet, cæcis oculos, ueſtigia claudis
Suppeditans, miſeris pater, & ſolamen egenis.
Si quæ cauſa tamen meditanti obſcurior eſſet,
Hanc ueſtigabam ſtudijs, animoque putabam,
Aſſiduè illud agens mecum, quo more nocentum
Vim premerem, atq; auidis prædas e faucibꝰ actas
Eriperem, ex illo me ſpes ſecura tenebat,
Has habitare domos, lucrūq; hoc claudere nido,
Longaque nequicquam meditabar ſecula uitæ.
Sic mihi ſurgebat riguis ſeges altior agris,
Et maſſam cæli gratiſſimus humor alebat
Creuit honos, nomenque meum, uireſq; ſecundæ.
Tum ſi magnificis ſoluiſſem uocibus ora,
Obſtupuere animis alij, quodcunque probaſſem
Omnibꝰ, ex æquo placuit, ſic pectora dictis

Mulcebam, ſic me cum gratum ſolibus imbrem
Grati expectabant, imbrem ſub ueſpere fuſum:
Nec minus idcirco noſtris accommoda meſſis
Dicta ſequebantur, minor aut conſpectus honori
Idcirco fuerat, curis ſiquando ſolutus
Lætior ingenuo miſcebam ſeria ludo,
Sed me conſilijs regali more uocatum
Sublimem poſuere loco, latus undique circum
Stipabant, uelut ſtipantur milite Reges;
Omnis ⁊ ex uno ſolamen turba petebat.

Idem Iobus

Cap: XXX.

At nunc contemptim pueris ludibria præbens
Rideor, his ipſis, quorum quandoque parentes
Haud dedignati pecora inter inertia noſtris
Degere cum canibus (foret hæc fortuna) fuiſſent,
Et quos uicta ſitu ſenioque effeta ſenectus
Vicerat, abſtuleratque animi cum corpore uires,
Indigros uitam tolerare ⁊ paſcere ſolam,
Quos olim maleſuada fames ⁊ egentia rerum
Obſcuros habitare lares, deſerta locorum
Squalida compulit, ⁊ miſeri ſolatia uictus
Maluam ⁊ iuniperos circum dumeta legebant,
Quos commune odium laribus deiecit auitis,
Et numero furum tenuit, procul omnib9 illi,
Luce procul, ſyluaſq; feras amnesque colebant,

Atraque montanis exesa cubilia saxis,
Tantum inter dumos inter desperata latebant,
Ignaui, infantes, ⁊ pondus inutile terræ.
His ego iamdudum mœroris, his fabula factus,
Hos nostri tædet, diris hi casibus addunt
Formidant, spurcisque agitant ludibria sannis,
Dumque Deus hinc arcus, atq hinc sua tela tetendit,
Cum laxo insurgunt fræno, latus omne fatigant,
Insidiasque struunt pedibus, uestigia lapsi
Proculcant, ⁊ me desertum atque omnis egentem
Præsidij affligunt, ac me uelut aggere rupto
Murorum inuadunt, fert impetus ipse furentes.
At mihi terrores fractam formidine mentem
Eripuere, uolat mea gloria, ⁊ ocyor Euro,
Ocyor ⁊ fortuna citis euanuit umbris.
Hoc mihi mens rerum casu turbata reducit
Insomnes animo curas, tam ferta malorum
Tempora concurrisse, ⁊ fato aduersa tulisse?
Nec modus aut requies, pernox agit cura medullas,

Nec ſinit optato veſci vaga lumina ſomno,
Undique tot rerum ſubito diſcrimina ſurgunt,
Et velut obiecto cingunt latera omnia vallo.
Ipſe quidem cæno abiectus vel pulvere fœdo
Nequicquam ſupreme pater tua numina ſupplex
Conclamo, ſed nec precibus tua numina flecto,
Nec miſerum cœlo clamantem deſpicis alto.
Quin etiam hoſtili me preſſum morte fatigas,
Et vires in me crudelis dextera ſævit,
Sublatumque olim ac veluti ſuper æthera vectum
Fregiſti, et vanos ſolviſti robore nervos.
Scilicet hæc fractis ſuperant ſolatia rebus,
Ut quandoque meos conſumam morte dolores,
Ultima mors rerum, requieſq; moduſq; laborum.
Saltem poſt tumulos tutus, poſt funera degam,
Nec cineres etiam vexabunt fata ſepultos.
Hic autem vitæ fructus ſine labe peractæ?
Quod miſeros flevi? quod ſum miſeratus egenos?
Optima ſperabam, veniunt contraria votis,

Sectabar lucam, ſunt danſæ noctibus umbræ,
Hic dolor hic ſæuit animis, hic oſſa remordet,
Criminis immunem tantos perferre labores.
Pallidus, informis, curarum abſumptus ab æſtu
Incedo, ⁊ uacuas pulſo clamoribus auras,
Struthorum nidos, commercia dira draconum
Conſector, mihi tota nigraſcens corpore pellis
Æſtuat, atque omnis uigor oſſibus aruit imis,
Pro cythara lacrymas reſono, tentataq cantu
Neſcio quos ſtridet feralis Muſica tactus.

Idem Jobus

Cap: XXXI.

Imposui leges oculis, ne in virginis pravo
Affectu haererent, nam quae me ob talia facta
Fortuna exciperet, quam sors infesta maneret?
Qualia multa viri agitant incesta patrantes.
At pater omnipotens gressusque viasque notavit
Quas tamen, quacunque ferens vestigia duxi.
Sed mihi nequitiae sectari semina nunquam
Cura fuit, falsasque animo componere fraudes,
Ponderet ipse licet trutina mea facta bilance,
Atque omnes numeret mores examine stricto.
Quod si quando tamen transverso tramite flexi,
Aut pravis animis oculorum obiecta secutus
Aut aliquod facinus manibus male adhaesit iniquis
Tunc alienae meos absumant ora labores

Posteritasque ruat radicibus eruta ab imis.
Si fuit unquam animus lectumque temerare iugalem,
Alteriusque thori sociam tentare pudicam,
Tum mea vulgato castam cum corpore famam
Prostituat coniunx aliis supposta maritis.
Hoc scelus eximium est, summaque notabile poena,
Haec flamma est quae res omnes extirpat eundo
Funditus, et late tectis incendia spargit.
Si famulo famulaeve meae me ad iura vocanti
Sistere iudicio, aut causam perferre negavi:
Quid facerem, si quando Deus consurgat, et isthaec
Inquirat? tantum quo purgem dedecus ore?
An non idem omnes gravida produxit ab alvo?
Neq hominum, servumque hominum, sator omnibus idem
Condidit? et forma natos decoravit eadem?
Si quando despexi inopem, viduamve precantem
Fraudavi votis, mensae si solus avarae
Incubui, si non dapibus pupillus eisdem
Affuit: haec primis ratio bonitatis ab annis

Cordi erat, hac pariter cæpi cum lumine uesci.
Si quenquam seruo pereuntem frigore uidi
Intectum, aut quenquam conspexi ueste carentem,
Qui mihi non egit lætanti pectore grates,
Cum nudum obtegerem uilloso tegmine corpus:
Si misero per me pupillo iniuria facta ẽ;
Dum regno, magnaque feror confisus opum ui,
Excidat his humeris armus, scapulæque recedant,
Brachiaque infractis penitus rumpantur ab ulnis:
Sic ego præcipites horrebam Numinis iras,
Vim pœnæ immensam, cui non sint terga ferendo.
Non ego spes auro fixi, neque diuitis arcæ
Copia sublimes animos, flatusque feroces
Addidit, aut partis uicina superbia rebus.
Cũ mihi se facili præberet sydere Titan,
Cornua cum Phœbe pura cum luce tulisset
Noctis honos, animo non sum persuasus inani
Blandiri proprijs atque oscula figere palmis,
Infandum facinus, pœnaque ⁊ uindice dignum:

Sic etenim ipſe Deum factis atque ore negaſſem.
Si quandoque fuit fatis inimicus amaris
Obrutus, haud ideo aduerſis noua gaudia rebus
Concepi, afflictumue animis ſectabar iniquis,
Nec linguam ſolui, aut uerbis odia aſpera moui;
Quantumuis alios uindictæ inſana libido
Vrgerat, pariſque animos expleſſe iuuaret.
Aduena non iſtas unquam peregrinus ⁊ hoſpes
Pulſauere fores, quin ſe ſub tecta tuliſſent
Nostrum, hoſpitijs accepti ⁊ rebus amicis.
At non occultis etiam mala crimina texi
Suffugijs, latebriſue malum ſcelus abditus egi,
Conſpectum lucemque fori male conſcius horrens,
Aut male conſtantis metuens conuicia uulgi,
Vt latitare domo, quam ſeptum liminis extra
Ferre pedes mallem: O utinam mihi tuta poteſtas
Talia dicendi, ⁊ cauſæ foret arbiter æquus:
Hæc utinam æterno ſcribantur condita libro,
Hunc humeris ferre, hunc capitis geſtare coronam

Optarim, hinc omnem numeris expandere uitam,
Nil ueritus, nullo pallescens crimine uultum.
Si qua tamen per me fœcundæ iniuria terræ
Addita, si fructu alterius urgebar inempto,
Aut miseros nimium uexaui impune colonos,
Pro Cerere, ⁊ grauidis diuino munere spicis,
Infelix lolium ⁊ steriles nascantur auenæ,
Carduus ⁊ spinis surgat paliurus acutis.

Elihu Buſites.

Cap: XXXII

Ipſe quidem iuvenis, neque longo doctus ab æuo,
Hactenus erubui veſtris irrumpere dictis,
Dicere quippe ſenes, iuvenem auſcultare decorum eſt,
Et canis melius ſapientia venit ab annis.
Spiritus eſt autem qui ſeſe in pectora miſcet,
Et ſupera mentes afflantur numinis aura.
Haud etenim ſemper doctis prudentia præſto eſt,
Nec iuris ratio ſenibus: quin arrige aures
Huc etiam, ⁊ noſtræ quæ ſit ſententia mentis
Accipe, iamdudum vos præmeditata loquentes
Audio, dum dubijs contenditur argumentis
Verbaque nequicquam cultu quæruntur inani,
Nec quiſquam tamen eſt Jobi qui dicta refellat,
Aut qui corrigat recte, aut reſpondeat apte.
Nec vos momento finem rationis in iſto

Ponite, quod supera mulctam experiatur ab ira,
Quod non humano uenit in discrimina nutu,
Non satis est isthoc, nec ego his rationibus utar,
Scilicet hœratis uicti, nulla amplius ore
Verba fluunt doctis, ⁊ quid iam demoror ultra?
Dum metuunt, alii posuere silentia dictis.
Ergo meas faciam partes, ⁊ pectora promam,
Pectora quæ plenus dudum mihi spiritus auget,
Vina nouos ueluti ruptura feruntur in utres,
Dum reclusa uiam fluuio spiracula pandunt.
Ergo loqui, ⁊ dictis animum exonerare necessum est,
Nec quisquam incipiat me tramite flectere recto,
Nec circumueniat diuersam gratia mentem,
Haud etenim hoc impune feram, quin numine sæuo
Me pater omnipotens pro talibus obruat ausis.

Idem Elihu.

Cap: XXXIII.

Huc animos adhibe, his aures advertito dictis,
Quae loquar, ⁊ quales meditabor pectore voces,
Vera equidem dicam, nec honesto aut devia recto.
Me quoque sublimis fecit Fabricator Olympi,
Illo afflante hausi communes aetheris auras.
Huc age verte aciem, mecum certamina misce,
En hominum cœno qui sit conflatus eodem,
Huc agedum, ne forte Deo congressus iniquis
Viribus, iniusto clames te iudice pressum,
Haud ullis terrere minis, absiste moveri,
Nec te dura premat nostrae victoria linguae.
Dicebas, memini ⁊ sermonem his auribus hausi,
Me purum, insontem, nec iniqua labe notatum.

Opprimit, ac aliquid tandem pro crimine nactus
Hoſtilem induitur faciem, ueſtigia cautus
Obſeruat, cippoque pedes compingit inermes.
Haud æquum facis, hoc ipſo tua dicta refellam.
Mortalem Deus exuperat, quid iurgia nectis
Nequicquam? & cauſſas faciat cur omnia poſcis?
Cum ſemel occepit, ſerò conſulta requires.
Languida cum repens inuaſit lumina ſomnus,
Corpora cum ſtertunt thalamis ſub nocte ſilenti,
Immittit terrorem animis, aureſque recludit,
Atque inſtat monitis, ut praua incepta morentur,
Ne nimios capiat uentoſa ſuperbia faſtus,
Vitam animamque neci ſimul exitioque datura.
Languida tum miſeris affligit corpora morbis,
Vt ſedeant lecto, ueniant faſtidia menſæ,
Tabeſcant artus, pereat uigor oſſibus imis,
Præſentemque ægris portendant omnia mortem.

Tum si quis, cælo ueluti demissus ab alto,
Militibus e multis adsit, quam recta monentem
Audiat afflictus, uitæ meliora sequendo,
Haud dubium, casus Deus ipse misertus iniquos
Vindicet interitu miserum: hoc satis ipse putabit
Supplicio pœnæ exhaustum, uigor inde recurrit
Corporibus, pœnitusque noua creuere iuuenta,
Et pater omnipotens sæua exoratus ab ira
Vltrà offert ueniam, & uultus ostendit amicos,
Iam culpas soluit, iam pœnas sustulit omnes:
Ille autem uitij culpas & crimina fassus,
Diuinos monitus magno pietatis honore
Laudabit, qui se modicis pro crimine pœnis
Plectarat, immanique animam defenderat Orco,
Immeritum lucis donarat lumine urgi.
Talia multa suo diuina potentia nutu
Perficit, vt pro morte animam, pro funere uitam
Restituat, uiuoque illustrat lumina sole.

Hæc audi, tacitusque adhibato ſilentia dictis
Dum loquor, et dein ſi quid habes quod dicere contra
Moliris, vel ſi qua tibi fiducia cauſſæ eſt
Diſſere, et ipſe lubens animis tua verba reponam:
Sin nihil eſt, ego te ſaltem meliora docebo,
Tu præbeto tuas meliora docentibus aures.

Idem Elihu.

Cap: XXXIIII.

Vos quibus eſt ratio, quibus eſt prudentia cordi,
Accipite hæc animis, memorique recondite ſenſu:
Auris uerba probat, ſed condimenta palatum,
Sectemur rationis opus, quo iudice rectum
Apparet, namque ipſe modis ſe Jobus iniquis
Clamat agi, inſontemq premi, nec iudicis æqui
Arbitrio, nec iure frui, tot uulnera telis
Infligi immerito, nullius criminis culpæ.
Ecquis Job tui ſimilis, qui pectora fluctu
Nugarum opplatus, ertſus ſectatus iniquos
Infandæ gentis, ſociusque comesque laborum?
Et tamen audaci ſermones ore profundis,
Nequicquam gaudere uirum pietatis amore.
Audite hæc, potiusque meis aſsiſtite dictis.

Haud (equidem credo) Deus eſt qui talia ritu
Impietatis agat, ſed qui iuſtiſſimus ipſe eſt,
Quique homini condigna ſuis dat præmia factis,
Nec premit immeritum, nec iuſtum criminis damnat.
Ipſe hunc igniferum cæli uariabilis orbem
Condidit, ipſe hominum, ſi nunc ſpiramina uitæ
Quæ largitus erat repetat, mora nulla uideres
Omnia tabifico conſumi animalia fato,
Humanumque putri mutari puluere corpus.
Si ſapis hoc audi, ⁊ uerborum dicta notato,
Nunquid qui tam iuſta facit, ſit iuris ⁊ æqui
Immunis? tam illa capit ueſania falſum
Ut damnes, qui tam ipſe potens, tam iuſtus ⁊ ipſe eſt.
Ille etiam reges, proceresque accuſat opimos,
Quem neque cura mouet neque gloria magna potentum,
Qui ditem ac inopem diſcriminis iuſtus eodem
Iudicat, atque utrumque luto confinxit eodem.
Interdum ſubito, ⁊ medios nox humida curſus
Dum peragit, fato miſeri rapiuntur acerbo,

Atque improuiſo tolluntur funere fortes.
Ipſe adeo cunctorum oculis ueſtigia luſtrat,
Et greſſus notat incautos, ingreſque recenſet.
Non Erebi tenebræ, neque nox denſiſſima terræ
Occulit impuros, ⁊ nulli impune poteſtas
Concertare Deo, aut ſimili contendere cauſa.
Turbauit ſolio innumeros, alioſque locauit,
Hoc ipſo mores hominum teſtatus iniquos,
Quod mortem infantem perfert ſub nocte ſilenti,
~~A~~Aut hominem medio conſpectu ad fata uocauit,
Dum rectâ flexêre uia, legeſque probatas
Abiecêre animis, miſeri dum numina cælo
Conclamant, uocemque afflicti ad ſidera iactant.
At ſi cui ueniam tribuit, mortemque quietam
Sufficit, haud illum damnabis crimine inctum.
Sin faciem auerſus populoue hinc negauit,
Quid deinde aſpicias ultimum? quibus orbis in oris
Abſconſum; interea populis dat iura Tyrannus
E[illegible]rauit imperio, ⁊ rigidis compeſcit habenis.

Non hominum est donare nefas & mittere mulctam,
Illa Dei cura est, si quid tamen inscius horum
Neglexi, neglecta mone, si forte loquendo
Peccatum est, hic jam delicti terminus esto.
Responsum petimus, tu protinus omnia retro
Abjicis, inque istam venisti primus arenam,
Si quid habes profer, sapientem dicere fas est.
Et fas est ipsum meliora audire monentem,
Tu prave loquaris, tu non nisi frivola fundis.
His ego te verbis monitum & rationibus actum
Optabo, ut pravos sermones ore profusos
Ipse recognoscas, ne forsitan improbus addas
Hac iterum quoque peccato delicta priori,
Et malesuada Deo plaudens convicia dictas.

Idem Elihů.

Cap: XXXV.

Haůd facis hoc æqůum, qůi tot temerarius ingeris
Iůſticiæ documenta tůæ, qůaſi iůſtior ipſo
Rege Deûm, qůaſi non hæc digeſſerat omnia certa
Lege pater, qůaſi ſint nůlli ſůa præmia iůſto.
Qůod tibi qůodque tuis contra præfabor amicis:
Sůſpice ſydeream molem ſtellantis Olympi,
Et qůanto nitidůs te ſit ſůblimior æther,
Hůic neque peccando noceas, neq; iůſta patrando
Proderit, impietas hominum tůa tangit, eůndem
Attingit probitas, ſi qůem ůis opprimit ingens
Plorat opem, & důri qůeritůr tormenta tyranni.
Sed qůotůs eſt, dům ůota facit, qůi pectore toto
Conůertat, puraqůe Deo ſe mente probarit?
Qůi ſůa nocturno præbeat ſolatia cantů,

Qui nos præ reliquis animantibus æthera sursum
Erexit, rerum gnaros, supraque uolantes
Vestigare dedit cælestis semina mentis.
Ergo etiam imperijs pressi clamare superbis
Nequicquam incipient, nec cælo exaudiet alto
Omnipotens uanos gemitus, neq lumina flectet.
Tu quamuis oculis illum deprendere nequeas,
Iusticia est illi tamen & prudentia recti.
Hoc satius meminisse fuit, paulumq morari,
Nunc ubi non totis iram laxauit habenis,
Nec mala supplicia, & dignas ad crimina pœnas
Exigit, idcirco uoces effundis inertes,
Et male ad eloquium linguam producis agrestem.

Idem Elihu

Cap: XXXVI.

Huc agedum doceo paucis edissero verbis,
Nam superest quod adhuc divina voce loquamur,
Longe adeo repetam tibi, qualis opinio iustum
Iudicat esse Deum, nec enim te falsa docebo,
Sed syncera pie ducet sententia mentis.
Omnipotens genitor qui cælum ⁊ sydera torquet,
Nec pravum servat, nec iustum impune relinquit,
Hunc etiam regum solio quandoque reponit,
Ut regnet, magnoque Deum decoretur honore.
At vinctos manicis, ⁊ tristi carcere clausos
Admonet admissi, scelerumque occulta revelat,
Informatque aures dociles, ut prava relinquant.
Si maneant dicto, melioris commoda vitæ

Percipiunt, ſatyros ut ducant molliter annos,
Sin uariant contra, ⁊ dictis parere recuſant,
Incauti ferro occumbunt, ⁊ triſtibus armis.
Impius ipſe ſibi pœnamque iraſque nefandas
Conciliat, ſimulatque animis, ⁊ carcere fœdo
Incluſus non nota facit, non crimina ſentit.
Ergo illi infandos, celerat mors dira labores.
Ante diem, ⁊ fœda abſumit Vanus improba peſtis.
Eripit inſontes Deus, indicitque ſalutem
Afflictis, ⁊ te potis eſt e faucibus atris
Eripere, ⁊ menſa lætum donabit opima.
Verum ubi iudicij norma deflexeris æqua,
Forſitan aut ira motus, uel munere captus,
Tam ſuperant pœnæ, ⁊ meritam ſeruaris ad iram,
Nec te diuitiæ, aut uires, aut grandis opum uis
Defendent, neque tu tenebras ⁊ munera noctis
Captato, ut miſeros turbes impune penates

Neve animus pravum facinus sese ingerat aegris:
Namque Dei caelo sese alta potentia tollit,
Nec cuiquam imperijs cedit, neque viribus ullis
Illius aetherios animo scrutabere gressus,
Nec dicas quod prava gerat, qd iniqua patrarit.
Quin tu magnarum potius miracula rerum
Quae facit attollas, et iustis laudibus ornes,
Quae genus humanum miratur, et omnia longe
Suspicit, illum autem nulli comprendere fas est:
Nec fas est longae numerari secula vitae.
Colligit hic pluviam guttatim, atq; aethere summo
Diffundit bibulis congestum nubibus imbrem,
Terrigenasque suo perfundit flumine roris,
Quid memorem explicitj speciosa volumina caeli?
Cunctaque intus vario pandit tentoria velo?
At supra tonitrus, et vasti fulguris alas,
Qua Nereus ortu, occiduus qua plauditur undis,

Explicat, his adeo vrrat mortalia corda,
Datque alijs optata sui solatia uictus.
Occulit interdum solem, & fulgentia condit
Astra manu, mox ut iubeat, speciosa uidebis
Agmina stellarum toto lucescere cælo.
Omnia quæ charis, ut posset, cessit amicis,
Vt gratis capiant animis, & laudibus ornent.

Idem Elihu:

Cap: XXXVII.

Hinc mihi sollicito trepidant præcordia fluxu,
Auditis fremitum & vehementes fulguris iras,
Et vastum paulo rumpentem ex ore fragorem,
Quam passim in vacuas spacijs distantibus auras
Iactat, & ætherios perlustrat luminis tractus,
Insequitur sonitus, mox vasta tonitrua cælo
Franguntur, rapidum ruit acto turbine fulmen,
Nec potis est acto fulmen semel impete sisti.
Sic miranda tonat Deus, & sic plurima cælo
Conficit immenso penitus miracula nutu.
Imperat ille nives, nimbosos imperat imbres,
Nix operat terras funduntur ab æthere nimbi.

Interea latitant homines ſub fornice clauſi,
Tantarumque ſtupent animis miracula rerum,
Effugere feræ campis, ⁊ luſtra reuiſunt.
Turbida tum uario tempeſtas ſurgit ab Auſtro,
Frigoraque immiti Boreæ denſantur ab arcto,
Numinis afflatu glacies concretaque torpent
Flumina, tum tenui ſoluuntur nubila uento,
Et cælum quandoque noua ſe luce ſerenat.
Illius imperio celeri ſeſe ordine nubes
Conuertunt, terras ſeruant, ⁊ iuſſa faceſſunt,
Agmine ſeu gentem terrarum inuadere mandat.
Hoc animis aduerte, Deumque infanda parantem
Suſpice, an id noſti, quo primum tempore leges
Impoſuit pluuijs, uel claræ luminis ortum?
Tun' etiam ſparſas ſcrutaberis aëre nubes?
Et quæ tantarum quærenda ſcientia rerum?
Vt ueſtes caleant, cælo dum turbidus Auſter
Abſtinet, an tu illi ſociusue comesque fuiſti

Cum liquidum stabili prætenderet æthera mundo?
Et speculi in morem concretas æthere nubes?
Quid sit opus dictu cedo; quia plurima nobis
Versat inexpertam rerum ignorantia mentem;
Quis mea dicta Deo referat? quisue arguat ore?
Infera cum illi pateant, ⁊ terra dehiscat.
Nam neque mortali rutilantem ex æthere solem
Aspicere est oculo, Boreali uentus ab axe
Cum flauit, cælumque aurata luce serenat.
Hæc opera, hæc illum maiestas maxima tollit,
Quem nulli capere, ⁊ nulli deprendere fas est,
Viribus insignem ⁊ proprio se marte ferentem,
Nec cuiquam libuit rationem reddere facti,
Illum adeo metuunt omnes, cui nemo timori est,
Quantumuis sapiant, ⁊ cælo pectora tollant.

Deus.

Cap: XXXVIII.

At pater omnipotens denſa inter nubila vocem
Intonuit, dicente illo domus alta ſileſcit:
Nam quis noſtra premit veſanis numina dictis?
Et ſtultis nequicquam implet ſermonibus aures?
Huc age, ſtato viri ſimilis, præcingere lumbos,
Quæ lubet exquiram, tu reſpondeto roganti.
Quis locus, aut quæ te regio, quisve angulus orbis
Tunc habuit, teneræ primum fundamina terræ
Cum poſui? ſi tanta tibi prudentia cordi eſt,
Quis potuit vaſtas metiri in pondere partes,
Aut patulum certa mundum deſcripſit amuſſi?
Quo ſe tanta tenet fixam fundamine moles?
Quis laterum capita, atq extremas fulcijt anſas?

Cum mihi plausissent cælo surgentia Eoo
Sidera, cum Divum soboles mihi carmina dixit?
Efflua quis rapidi compescuit ostia ponti,
Cum veluti fæta vi erumpebat ab alvo
Undarum? has densa velabam nubis amictu,
Cum pannis involvens multa caligine fœtum,
Hic illi finem præscripsi, hic terminus illi,
Hic vectem opposui furibundo, atq; ostia clausi,
Et dixi: huc sistes, nec tu transire memento
Eminus, hæc tumidum franges ad littora fluctum.
Nunquid, ubi primum nascentis luminis ortus,
Matutina tuis iverunt tempora iussis?
Qua sese inferret roseis aurora quadrigis?
Tum etiam terræ vidisti extrema labantis,
Ut genus ignavum excuteres & inutile pondus?
Quorum, ceu fragilis quondam signacula ceræ,
Labatur, fluxæ similis, res optima, vestis:
Luce sua ut prorsum careant, rebusque secundis,

Excussi iaceant regali ex sede superbi?
Nunquid inaccessi nosti spacia alta profundi?
Atque pedes imo posuisti cautus abysso?
Pallida uel gelidæ scrutatus es atria mortis?
Vel Stygiæ loca lustrasti tenebrosa paludis?
Regna peragrasti latæ uastissima terræ?
Fare age & hæc prudens rogitanti edissere uerbis,
Quæ lucis regio immensæ? domus atra tenebris
Quæ data? uel quo se iunctæ discrimine findunt?
Qui locus est illic? quæue illuc semita ducit?
Sciuisti tum te uenturum in luminis oras?
Quotque futura tuæ numerassem tempora uitæ?
Forsan & ætherias patulis regionibus auras
Lustrasti, qua se cumulo nix turbida promit,
Aut hyberna ruens tectis salit horrida grando?
Qua cælum quondam pluerat, cum tristior æther
Ingruit, & bello seges infestatur acerbo.
Vnde autem Solis radij sparguntur Eoi?

Vnde ferunt rapidis ventum cum flatibus Euri?
Quis iubet imbriferas hyemes ruere æthere toto?
Fulguraque & ſummo colliſa tonitrua cælo?
Vt laté plueret longa in deſerta, ſine ullis
Agricolis, nullo penitus loca conſita cultu,
Vt viridem multo veſtiret graminis campum,
Floribus ut campos, ut ariſtis ſpargeret agros?
Vnde ſatæ pluviæ, & roris gratiſſimus humor?
Quæ genitrix glaciem enixa eſt gelidasque pruinas?
Vt lateat duris concreta paludibus unda,
Peruia inaſsuetis durentur ut æquora plauſtris?
An poteris vincto laté ſociare micantes
Pleiadas? Arcturique rotas divellere gyro?
An tibi ſe ſolitis producat Lucifer horis?
Et ſeptemgemini variabis ſydera plauſtri?
Sydaribus legem pones? cælique meatus
Ad vaga deſcribes variantis climata terræ?
Aut per æthereos vibrabis fulmina tractus?

Inter & immenſos pedibus ſuperſtare fluctus?
Nunquid et obducto geminabis fulgura cælo?
Illa autem imperijs ibunt & iuſſa capeſſent?
Inſcia quis animo compleat præcordia ſenſu,
Ut ſapiant animis, recta ut ratione ferantur?
Quis deſcribat opus triplicis mirabile mundi?
Aut ſimul effuſos ſiſtat vehementius imbres,
Cum fluxu ætherio ſpiſſæ humectantur arenæ,
Glebaque mollito lenteſcit lubrica ſulco.

Deus.

Cap: XXXIX.

Ito et frendanti prædam conquire Leænæ,
Aut catulis expleto auidi ieiunia uentris,
Quando inopes rerum uastis cubuere sub antris,
Insidiasque agiles specubus conantur ab altis,
Coruorum generi facilem quis præparat escam,
Et pullos nido in sublimi pascit hiantes?
Cum clamant, passimq fame in diuersa feruntur?
Scin' tu parturiant timidi quo tempore Damæ
Rupibus äerÿs? grauidæ quo tempore Ceruæ
Concipiant? uacuantq expletis mensibus aluum?
Dum pariunt, magno incuruant in terga dolore,
Et uasto eÿciunt fœtum clamore sub auras,
Palantur nati, & pingues uescuntur aristas,

Nullaque cura subit matrum sub tecta reverti.
Quis campi sata lustrantem dimisit Onagrum,
Ut securus agat, liber loca sola pererret?
Cui sylvae domus, ⁊ latè in deserta vagatur,
Despicit urbanos motus, plebisque tumultum,
Nec timet imperia aurigæ, neque vincula curat,
Tantum autem montes virides ⁊ pascua lustrat,
Riparumque thoros, ⁊ prata recentia rivis.
Nunquid iussa trement vasti tua Rhinocerotes?
Aut mansuefactis dabis ad præsepia pastum?
Credo equidem manibus domitos tua sub iuga mittes,
Ut glebas frangant, ducantque in iugera sulcos?
Scilicet infandæ sunt illis corpore vires,
Natura eximia ac magnos tolerare labores,
Ut viridem plaustro ferrent tibi fænore messem,
Et comportata complerent horrea fructu.
At Struthi pennis galeæ decorantur ⁊ arma,
Non habet his similes crepitante Ciconia rostro,
Ille excludit humi, atq; in pulvere proiicit ova,

Quæ tepido terræ gremio calfacta fouentur,
Non illi curæ, an quisquam pede proterat, an quæ
Bacca in effossis confracta relinquat aruis,
Quem non maternæ tangit pietatis imago,
Non exantlati fructum putat esse doloris,
Haud illi tatam dedit in præcordia mentem
Ut saperet meliora, Deus qui talia condit,
More suo sese pernicibus erigit alis,
Ridet equos, & equorum immania terga prementes.
Nunquid Equo solidas addas in corpora uires,
Edat ut hinnitum, & clamoribus impleat auras,
Nunquid eum ueluti pauidas terrore locustas
Offendes, rapidos cum spirat naribus ignes,
Quadrupedante putrem sonitu fodit ungula campum,
Stare loco nescit, si qua sonitum arma dedere,
Ire iuuat bello, nec eum pauor improbus arcet,
Tela inter media & strictos ruit impiger enses,
Nec timeat e plenis uolitantia tela pharetris,
Aut hastam excussam, aut lucentis spicula ferri,

Stat ſonipes, terramque ferox pede proruit unco,
Nec clamorem horret campo ſurgire tubarum,
Buccina cum ſonuit, pugnam procul aere odorat,
Hortantesque duces, acieſque in bella frementes,
Accipiterne tuo ducat per corpora plumas
Auſtrio? ⁊ tepidum pennas librabit in auſtrum?
Mandato liquidas Aquila ſe tollere in auras,
Et procul excelſo nidum componere ſaxo.
Illi petra domus, præruptaque rupibus altis
Tecta iacent, ſummasque colit ſecurior arces,
Inde procul prædam luſtrat, quam cōprimat uncis
Unguibus, hinc illinc oculorum lumina tendens,
Implumes intus fœtus manantia lambunt
Corpora, ⁊ ipſa volat quæcunque cadavera ſenſit.
At tu, qui pugnare Deo cæloque parabas
Iobe, quibus contrà tandem rationibus inſtas?
Scilicet hæc impune tibi feciſſe licebit?
Et meritam excuſas per ſola ſilentia culpam?

Iobus. I.

Dixerat, & paucis contra afflictissimus orat:
Ista meae levitatis erunt, quid dicere possim?
Aut quibus audeam verbis exoluere linguam?
Quin potius tacitum ipse manu cōpēsco labellum,
Hac mentem semel haec fateor dementia caepit,
Hoc pudet, haud equidem quicquam deinde amplius addam.

Deus.

Cap: XL.

Hunc iterum pater omnipotens ex turbine fatur:
Stato uiro similis succinctus, ⁊ hæc mihi quæso,
Actane iudicij poteris facere irrita nostri?
An damnare Deum, teque ausis dicere iustum?
Anne Dei similis cælo tua brachia tendes?
Aut simili insurgens fremitu super alta tonabis?
Adde decus lateri, ⁊ cælo caput altius effer,
Vestibus eximijs, auroque accingere ⁊ ostro,
Sparge ferox iras, gentem contunde superbam,
Deijce pronus humi quicquid Dijs altius obstat,
In prauos inquire, suisque expellito tectis,
Aut terris absconde, aut sordibus obrue uultus

Infernis, facito hæc, ⁊ protinus ipſe fatebor,
Quod ualeas magnā propria ſpem ponere dextra.
Aſpicis ut Behemot cors hauſerit auras,
Et bouis in morem fænum ad præſepia mādat,
Quæ gerit, in uaſtis gerit ~~ſar~~dua robora lumbis
Omnis ⁊ immani uirtus ſe colligit aluo,
Cauda uelut gracilis cedrus, ſed durior orno
Vena riget, tenſoque malus ſtetit inguine neruus.
Qualiter æs duratur, ⁊ acris lamina ferri,
Taliter oſſa feræ uaſtos panguntur in armos.
Hoc opus eſt, noſtræ ſunt hæc primordia mentis,
Feci, ⁊ cum libuit diſtricto perſequor enſe.
Incultis illi funduntur montibus herbæ,
Colluduntque feræ, ⁊ uaſtum genus armentorum,
Ille umbram petit, ⁊ uiridi cubat abditus ulua
Quaque obſeſſa palus obducit paſcua iunco,

Vt diffuſa tegant umbris dumeta latentem,
Et ſalices condant iunctas fluuialibus undis,
Cum ſitijt, fluuios torrentes faucibus haurit,
Sperat & excepta Jordanem creſcere lympha.
Aſt aliquis proprio deceptum lumine ducit,
Perforat ut nares ferro ſudibusue prænſis.

Deus.

Cap: XLI.

Nunquid magnarum quæ maxima Balænarum
Capta manu, ſurſum facili ducetur ab hamo?
Aut linguam extendes attracto fune reuinctam?
Scilicet occultum pones ſub naribus uncum,
Et duplicem fodies ferrata cuſpide malam?
Forte preces etiam timido tibi fundet ab ore,
Blanditiasque feret ſupplex & mollia uerba?
Forſitan & tecum ferituram fœdera ſperas?
Preſſaque ſeruitio tua dicta & juſſa faceſſet?
Nunquid aui ſimilis blandæ colludet amicæ?
Et teneris coram mittes in uincla puellis?

An captam ſocij diuerſa in fruſta ſecabunt,
Diſſectamque alias portabit nauita terras?
Linea num tanti concludent retia molem
Corporis? ⁊ quanam traheres capita ardua naſſa?
Veneris ad pugnam, ne tu ludibria cenſe
Prælia, quin pereas congreſſu uictus ab uno,
Et tu nequicquam ſperabis uincere, nec tu
Immanes poteris contra conſiſtere uultus.
Nemo ferox adeo eſt, illam qui ſponte laceſſat,
Et quiſquam nobis auſit ſe opponere bello?
Aut aliquid dedit ante mihi, quod deinde rependam?
Me penes eſt quicquid cælorum machina claudit.
Nunc libet immanes tam uaſto in corpore uires
Narrare, ⁊ quæ ſit crudelis fabrica monſtri.
Ecquis enim audebit denſæ uelamina pellis
Exuere? aut gemini ſubeat penetralia roſtri?

Aut infixa loco malarum clauſtra reuellat?
Sic horrent dira ſepti formidine dentes,
Et clÿpeata riget ſquamarum tegmine pellis,
Squamarum quæ ſe latè denſo agmine circum
Contiguo extendunt tractu, & latera ardua claudunt,
Nec ſoluenda manu, tenui nec peruia uento,
Sic inter ſeſe ualidis compagibus hærant.
Sternutat, naſumque ſimul fulgore coruſcat
Et uelut Auroræ ſurgentia matutinæ
Lumina, ſic oculos fert in diuerſa micantes.
Tum rutilum rapidis exhalat faucibus ignem,
Scintillæ abſiſtunt, circumq; incendia ſpargunt.
At lautus calidis fumus ſe naribus effert,
Ad cælum, incenſis uelut e fornacibus actus,
Fumidus igniuomo diffunditur halitus æſtu,
Et triſtes patulo flammæ iaciuntur ab ore;
Ardua tum uaſto fulcit ſe robore ceruix;

Hac viras capit, hac res omnes rumpere gestit,
Cætera compacti defendunt viscera nervi,
Et totum invicta solidant compagine corpus.
Saxea sunt illi præcordia, vel quasi tritæ
Duricies molæ, si quando assurgit in iras,
Omnis & Oceani trepidat ferus incola, & alti
Monstra maris, sævitq animus, neq parcitur ulli.
Non gladios pavat illa, nec actam viribus hastam,
Telaque missa manu, loricamq ære rigentem,
Ferrum instar paleæ, ligni putat æra caduci,
Sed neque missilibus fodies fera terga sagittis,
Fundaque nequicquam volitat contorta lacerto,
Ridet balistam, & vibratæ robora corvi.
Inter acuta natat saxorum, atque obvia vastas
Subvertit limo cautes, tum gurgite ab imo
Commovet Oceanum, in morem ferventis aheni,
Et fluctus volvit fundo, & mortaria miscet.

Cum natitat, longo ſignat uestigia ſulco,
Cærulei ſtrident fluctus, atq; æquora ſpumant.
Non tulit huic ſimilem tellus, nil continet orbis
Quod metuat, pavor omnis abeſt, ſublimia ſpernit,
Solaque magnarum meritò eſt Regina ferarum.

Iobus.

Cap: XLII.

Haud equidem ignoro, quia ſufficis oīa ſolus,
Et nihil eſt quod non tua magna potentia condit,
Tu mentes etiam ſcrutaris, & intima ſenſa.
Fallitur ô nimium, & longè rationibus errat,
Si quis te coram conſulta abſcondere ſperat.
Erravi fateor, ſtultis dum plurima verbis
Perſequor humanum longè excedentia captum,
Confeſſo ignoſce, & deinceps meliora doceto.
Auribus audivi dudum, nunc lumine cerno
Præſentem, nunc illa mihi delicta pudorem
Incutiunt, capto cineres, & pulvere ſternor.

Finis Sermonum Iobi.

Jobus.

Cap: XLII.

[illegible]

Finis Sermonum
Jobi.

250

M. Caſparis
Schützÿ Iſlebienſ.
Eccleſiaſtes Sa
lomonis ſive
Vanitas Vanita
tum.

M. Casparis
Schůtzÿ Isleůieñ

Ecclesiastes Sa-
lomonis, siue
Vanitas Vanita-
tũm.

Ecclesiastes
Salomonis.

Cap: I.

Omnia uana uides, quæcunque ſub æthere lato
Vertuntur, nihil eſt propria quod lege feratur,
Quod ſtabiles habeat motus, ſunt omnia uana.
Nam quis deinde manet fructus mortalibus ægris,
Quos exantlarunt quondam ſub ſole laborum?
Sic adeo interitu ſenſim rapiuntur iniquo,
Parca ferox omnes lætho ſortitur eodem,
Succedunt alij, ⁊ functorum ſedibus inſtant.
Mox perituri alia, atq alijs loca deinde daturi.
Interea fundata ſuo ſtat pondere tellus
Æterna, atque immota, ⁊ ſedibus hæret in ijſdem.
Sol oritur, mox Heſperias ſe condit in undas,

Et paribus metam spacijs contingit eandem,
Vnde diem mundo radijs producat Eois.
Ventus & australes tractus, & frigora lustrat
Immitis Boreæ, confecto denique cælo
Antiquas iterum sedes & regna revertit.
Cernis ut immensi diversis partibus orbis
Oceanum fluvij properent, & littore lato
In mare diffusis rumpantur et ostia linguis,
Nec mare tot fluvijs undam tamen altius effert,
Nec superat ripas: etenim vaga flumina quæ se
In pontum exonerant, imis absorpta cavernis
Fontibus occultis grandes per viscera terræ
Erumpunt alio, & cursus iniere priores.
Quot genera ærumnæ pariat quot terra labores,
Non scriptu facile est, nec cuiquam effabile dictu.
Omnia si memores, oculis vel singula lustres,
Non oculi, sed nec satiantur ab omnibus aures.
Quæ facimus, quandoque aliam fecere priores,
Accidit hoc nobis, sed & hoc prius accidit illis,

Quodque olim fuit, hoc iterum quandoq futurum est,
Sic redit assiduo primum labor actus in orbem,
Et nihil est sub Sole, novum quod dicere possis,
Quod nō praeteritis fuerit quandoque diebus.
Sed nos priscarum tenet ignorantia rerum,
Quis fuit atavus, neq nostri deinde nepotes
Quae fuerint tacitis servabunt omnia causis.
Aut quo quicque modo tandem, quo fine geratur.

Ipse quidem regni Solymorum sceptra potitus,
Hoc volvebam animis hoc tota mente putabam,
Sectari rerum caussas, ⁊ discere mores
Humanos, ⁊ quid spacioso agatur in orbe:
Nam Deus innumeros hominum exhaurire labores
Imposuit, quos ille die quos ille volutat
Noctibus, haec illi miserae sunt ocia vitae.
Singula dum lustro res duras, nomina vana
Invenio, ⁊ solum cunctis in rebus inane est.
Nam neque quod curvum natura est, artibus ullis
Flectitur in rectum, stultorumque agmine plena
Omnia, quos nullo numero comprendere possis.

Hoc etiam interdum tacito cum corde ferebam,
Quod mihi de priscis nullum virtute priorum
Regibus agnoscam, longeque potentior essem,
Et multo rerum longe sapientior usu.
Nam mihi prima fuit teneris solertia ab annis
Discere virtutem, vitium discernere falso,
Et quo stulticiae spacio prudentia distet,
Atque inter sese metiri pondera rerum.
Haec quoque res nam ipsa est mihi plena laboris.
Prudentem siquidem rerum fastidia torquent,
Multa docens alios, multum patiatur oportet,
Et quos imperio regit, his parere necessum est.

Ecclesiastis

Cap: II.

Ergo alia iam metiri ratione libebat,
Et quid ſi uitæ traducam molliter annos,
In cute curanda ſolers, rebuſque fruendis?
Verum hæc extemplo ratio uaniſſima uitæ
Viſa fuit, quid enim riſus? dementia certe eſt,
Et breuis eſt omnis breuiter peritura uoluptas.

Protinus hæc animus igitur mihi cura ſubibat
Luxuriam fugere, & dulcis fomenta Lyæi,
Virtutique omnes diſcendæ intendere neruos,
Quin & ſtultitiæ ſectari ſemina, donec
Illud ſuaue bonum, ſtudiiſque opibuſque petendum,
Dum fruimur uita, cæli dum ueſcimur auris,
Inueſtigarem, & recta ratione probarem.

Hinc ego magnarum cœpi molimina rerum,
Magnorumque operum, regalia condere tecta,

Aureaque insigni ostentare palatia fastu,
Vt mea montanos uestiret uinea colles,
Et grauidi uarijs spirarent fructibus horti,
Vtraque dispositis rideret gratia campis,
Et genus arborum fœtis consurgeret aruis,
Stirpis non uno, non una matre repostum.
Hinc liquida effossis rorabant stagna lacunis,
Vnde tener passim fluitando canalibus humor
Arboreos late lucos ⁊ prata rigaret.
Quid referam famulos, ⁊ turba domestica quanto
Exigerant operas numero, tectumque repleuerant,
Nec cuiquam Regum, Solymis qui sceptra tulisset,
Tot fœtus ouium Libani sub montibus herbam
Pauerunt, totidem campos rasere iuuenci:
Quin ⁊ thesauros argenti aurique talenta
Congessi, census populorum, ⁊ munera regum.
Hinc mihi turba animis lætantum ⁊ uoce canentum,
Omnis ut auratis resonarat Musica tectis,
Musica deliciæ Regum, mirandumque uoluptas.
Sic longe ante alios felix hac sorte ferebar,

Nec tamen interea rerum prudentia deerat,
Tum si quid iucundum oculis aut dulce fuisset,
Aut suauis siquando animis obiecta voluptas,
Indulgebam oculis, animisque optata ferebam,
Diuitijs lætus rebusque fruebar opimis.
Hanc operum mihi mercedem fructumque putabam
Quam tuleram toties inuicta mente laboris.
Verum ubi tot mecum reputo conamina rerum,
Quas tantis opibus solers curisque parassem,
Hæc quoque res inutili, et per malis iam plana doloris
Visa fuit, velut vmbra leuis euanescit in aura.
Hinc aio mihi cura subit, cognoscere tandem
Ecquid conueniant inuicem prudentia simplex,
Et uaga stulticiæ ratio, aut quo limite distent.
Ecquis enim expediat, quem deinde ad sceptra vocabunt,
Qui populum regat, et nostro succedat honori
Olim cum nostros cineres leuis agger habebit?
Illæ autem longo distant procul interuallo,
Et terras quantum superat lux clara tenebras,
Tantum stulticiæ noctem sapientia uincit.

Præma prudentem ratio cum lumine ducit,
Stultus per tenebras palpat, cæcusque vagatur
Et tamen est eadem vitæ fortuna grandæ.
Mox diuersa vagam subijt sententia mentem,
Nam quid recta mihi tanto quæsita labore
Viuendi ratio, siquidem communia mecum
Fata trahit stultus? res hæc quoque vana videtur,
Nec solos vitæ premit olim obliuio stultos,
Gloria prudentum fato sepelitur eodem,
Omnia posteritas abolet, rapit omnia tempus,
Insipiens, sapiens, letho noscuntur eodem.
Ergo virum merito subeunt fastidia vitæ,
Atque animis tædet rerum, quas altus Olympo
Collustrat radijs Phœbus, vanissima quarum
Est species, vanusque labor, molimina vanæ.
Nam quorsum exhausti prosunt mihi sæpe labores?
Quicquid quæsiui cupidus, dum vita manebat,
Quæsitum est alijs, alij mea commoda carpant,
Atque alius partis hæres quandoque fruetur.

Gnarus an insipiens, incertum, atq; iſte fruatur.
His opibus, quas noſtra manus congeſsit, opimis.
Omnibus in uanis uix hoc eſt uanius ullum.
Ergo uacare animus, atque ocia ducere præſtat,
Et ſemel aſsiduos tandem remouere labores,
Ecquid enim refert, prudenter et oīa facta.
Anxius expectes, ⁊ ſolers rebus agendis:
Diuitias cumules, quas olim prodigus hæres
Horum operum immunis, manuum monimenta tuarum
Poſsideat? nugæ meræ, neque triſtius ullum,
Anxia quam trepidis agitari pectora curis,
Tot caſus haurire, tot exantlare labores.
Namque quis inde manet fructus? Suſpiria et
Mentibꝰ, ⁊ tacitas cumulāt inſomnia noctes, Langor
Hæc quoque de uanis ſpecies non ultima rebus.
Ergo homini præſtat partis iucundius uti,
Indulgere animo, lautis accumbere menſis,
Et curas dulci quandoque fugare Lyæo,
Atque iſtum ſaltem fructum captare laboris.

Verum hoc eſt harai donumque optabile regis,
Ut mentem exhilarat, curaſque ut diluat omnes.
Nam neque ſplendidior victus, neque ſuavior ulli
Quam mihi menſa fuit, neque rerum gratior uſus,
Non tamen idcirco curarum immunis agebam.
Namque ut quemque Deus patrio complexus amore eſt,
Sic illi faciles animos vireſque ſecundas
Suggerit, & letas cumulat bona gaudia mentis.
Improbus interea vexatus munere levo
Æternas congeſtat opes, quis dignior illo
Cui Deus & melior favit fortuna, fruatur.
Hec quoque res nihili eſt, & triſtius obvia fatis.

Ecclesiastis

Cap: III.

Tempora sunt rerum, certi sunt denique fines,
Quicquid agunt hōies, certas labor omnis in horas
Vertitur, ⁊ proprijs mutantur singula metis.
Sic ubi materna proles se impleuit in aluo
Nascitur, atque ubi se fatalis clauserit orbis,
In tenues iterum concedit spiritus auras.
Est ubi quis plantat, uel ubi plantata recidat,
Nec sanandi eadem, facti quę uulneris hora est,
Hic celsis olim fulsere palatia tectis,
Diruta quę iam nunc fundo uertuntur ab imo,
Ast alibi in uacuo surgit noua Regia campo.
Tempora dant lacrymas, lętos dant tēpora risus,
Nunc lugere uacat, nunc exercere choreas.

Ipsa dies saxis quondam congesta uetustis
Tecta ruit fundo, ex ipsis mox deinde ruinis
Eriguntur cælo moles, ⁊ saxa resurgunt.
Est ubi quis placidis mallet complexibus uti,
Est ubi iucundos quondam fastidit amores.
Quærimus, ⁊ quæsita suis amittimus horis,
Nunc seruata placent, alio quæ tempore sordent,
Hæc modo consuimus, quæ mox dissuta fatiscunt.
Est status in sermone modus, ratioque loquendi,
Est etiam tempus reticendi atque ora tenendi,
Sic amor atque odium uicibus uertuntur eisdem,
Mutanturque suis pax ⁊ discordia metis.
Multa adeo proprias melius formantur in horas
Felices operum, multi quandoque laborant
Incassum, nec enim fuit utile tempus agendo.
Scilicet has pater omnipotens mortalibus ægris
Addidit ærumnas, quibus anxia corda fatigant,
Dum finem rerum ⁊ motus scrutantur inanes.
Ille autem metasque suas, sua tempora seruat,

Atque homo diuinas nequicquā imitabitur artes,
Cuius non operum finem, non despicit ortum.
His igitur uarios inter uanosque labores
Hoc melius rebar, dissoluere pectora curis,
Delitias agere, ⁊ melioris commoda uitæ.
Carpere, credo equidem lætis assuescere mensis,
Et Cerere ⁊ Baccho duros miscere labores,
Haud opis humanæ est, lætis Deus ista ministrat.
Quicquid agit, manat æternum, nec uertit ulli,
Omnibus exactum numeris, nihil inde redundat,
Et nihil inde deest, hæc illi summa potestas,
Hinc meliunt homines sublimia facta patratum.
Nam quæcunque facit Deus, oīa numine dextro
Perficit, ⁊ nihil est facto præstantius illo,
Si quicquam fieri iubeat, fit ille suorum
Vrget successus operum, neque deficit orsis.
Non eadem humanis præsto est industria rebus:
Ecce forum, ⁊ populi subsellia, cincta corona,
Hic pugnant lites, ⁊ inania iurgia nectunt,
Hic pro iusticia uentosa calumnia regnat,

Et dubiæ leges, & iniqui iudicis aures,
Perdunt insontes, defendunt iura nocentes.
At Deus hæc olim examen reuocabit ad æquum,
Et iusto sontique simul sua præmia reddet,
Namque sui fines sunt & sua tempora mundo.
Hinc animis iterum attonitis iterumque putabam,
Esset ut humanæ sors incertissima uitæ,
Quam pater omnipotens certa ratione carentem
Proiecisse solo, brutisque æquasse uidetur,
Cumque feris homines nullo discrimine uiuunt,
Vmbrarum similes, & inania pondera terræ.
Namque eadem fortuna hõis pecudesque fatigat,
Et pereunt genus et hom̃, genus et animantum
Vno eodemque modo, sic spiritus omnibus idem est,
Nec quicquam est homini potius, sunt omnia uana,
Omnia sunt decidua, locumque feruntur eundem,
Omnia de putri consurgunt puluere primum,
Omnia cum pereunt mutantur puluere putri.
Vtque reor dubium est, hõis num spiritus auras

Peruolat ætherias, pecudum transmigrat ad umbras.
Ergo nihil melius quàm fructum haurire laboris,
Indulgere animis, & rebus suauiter uti,
Hoc operæ precium, hæc hominū certissima merces,
Nam quibus augurijs norit, quid deinde futurum?
Aut quis cuiq hom̄ maneat post funera sensus?

Eccleſiaſtis

Cap: IIII.

Hinc mihi iudicij ſtrepitum ⁊ ſubſellia Regum
Cernere cura fuit, morumque notabilis aulæ,
Inſontes illic quà ui, quò iure premantur.
Ecce tibi lacrymas, gemitus, triſteſque querelas,
Quos premit aduerſæ uiolenta potentia partis,
Auxilijque ſpeique inopes, ſolatia nuſquam,
Nuſquam præſidium eſt, maior ſtetit unde poteſtas,
Raraque pro tenui fertur ſententia parte.
Credo equidem longè placidā ſuccumbere mortem
Præſtiterit, quàm tot miſeræ diſcrimina uitæ
Terere, atque adeo longè felicior ille eſt,
Et præſtat longè defuncto, ⁊ luce fruenti,
Qui nondum in Solis uitales editus auras
Humanæ nondum perſent incommoda uitæ

Cernebam quot ubique operæ, q̃t ubiq; labores,
Et quàm multa viros rerum solertia vexat,
Sed neque, quantumuis prope dexteritate ministrat,
Omne ꝓ tulit punctum quisquã, sic invidet alter
Fortunæ alterius, vani res plena laboris.
Stultus iners digitis crepat, atq; odia aspera miscet,
Ipse suum cor edens, aliorum commoda carpens;
Vivitur exiguo melius cum mente quieta,
Quàm si congestos curæ comitantur acervos.
Hic aliud vanum vana inter cætera sensi;
Est aliquis thalamique expers sociaque iugalis,
Cui neque natorum spes, nec successio fratrum,
Ille tamen nescit requiemque modumq; laboris,
Cui nunquam satis est, nulla saturatur opum vi.
Stulte quis hæc olim capiet? cui talia condis?
Defraudans genium miser, ignotoque relinquens?
Hæc quoque res vanos inter numeranda labores.
Iudice me præstat consortem adiungere vitæ,
Et fidam thalami sociam, quàm degere solum.

Nam duo de partis melius solatia rebus
Percipiunt, plenaque manu sua gaudia carpunt,
Labitur alteruter, labantem sustinet alter,
Quam miser est qui solus agit sine compare vitam,
Cum cadit infelix nullo relevante iacebit.
Cumque duo pariter lecto sternuntur eodem,
Corpora sic melius iunctim calfacta fovebunt,
Quam qui se solum plumis involvit amictum.
Difficile est uni adversos tolerare labores,
Hostilemque manum, potior fortuna duorum est
Fila magis durant triplici contexta rudente.

Sæpe etiam puerum miseris natalibus ortum
Extulit ingenium, ⁊ tantæ prudentia mentis,
Præ rege ignavo, cui stulta insania fastum
Indidit, ⁊ rerum nescit consulta suarum.
Atque alius tenebris interdum ⁊ carcere fœdo
Eductus regnum tenuit, sceptrisque locatur,
Ast alius patria regum de stirpe profectus

Pauperiem tolerat ſceptris expulſus auitis.
At proceres puerum primis comitantur ab annis
In ſpem regnandi, cum Rex in fata recedat,
Millia multa virum praecedunt, multa ſequuntur,
Arrident iuueni, & patrio dignantur honore,
Olim autem duro proceres & mobile vulgus
Imperio regat, atque arctis premat ora lupatis.
Haec quoque res vanis ſpecie nil diſtat ab umbris.

Ecclesiastis

Cap: V.

Cum delubra Deum, ⁊ pingues properabis ad aras,
Innocuos seruato pedes, gressusque beatos,
Et sacros monitus animis præsentibus audi,
Suauior est Diuis sinceri gratia cordis,
Quam si multa cadat uesanis uictima stultis,
Ignaris quam læta suæ sint nomina culpæ.
At siquando preces deuotus ad æthera fundes,
Ne tibi lingua nimis properet, sed parcito uerbis,
Parcito multiloquis animum depromere dictis.
Nam pater omnipotens tectum stellantis Olympi
Qui colit, humanas ex imo pectore curas
Ante preces dudum nouit, nos infima tellus
Detinet, ignaros rerum quarum indiget usus.

Tu paucis ora, Deus audit pauca rogantem.
Multa uelut multæ pariunt insomnia curæ,
Sic semper gaudet multis insania uerbis.
At cum uota Deo facias, exoluere uotum
Festina, nec enim stolidos Deus auribus æquis
Aduertit, qui sæpe uouent, et sæpe retractant.
Tu dictis adhibere fidem factisque memento,
Tutius est uouisse nihil, quam fallere uotum.
Hinc tibi prima tuæ subeat custodia linguæ,
Ne te transuersum trahat, aut in damna ducat.
Quin ubi peccaris noli delicta monentes
Spernere, nam uelis recte fecisse uideri,
Nam Deus hoc ægre patitur, consurgat in iram,
Damnabitque operum fructus quandoq tuorum.
Somnia fallaces pariunt temeraria curas,
Plenaque sunt uanis tantum sine uoce nugis,
At tibi diuini sit maxima cura timoris.
Fors aliquem iustum uideas iniusta ferentem,
Nec legum curam, nec sancti fœdera iuris,

Juſticiamur coli, ſed toto ex orbe fugari; ij. cap.
Ne nimium mireris, tenet mos iſte regentes,
Haud impune quidem, licet unus praua ſequatur,
Cui commiſſa ſubeſt certis prouincia pactis,
Aut urbs, aut populus: loca namq priora tenentem
Quam uerſatur habet, ſed utriſque potentia maior
Imminet, imperioque premit, ſuper omnia uero
Regia ſe celſa maieſtas ſede locauit,
Publica ſubiectis ut praeſtet commoda terris,
Ne certis uacui careant cultoribus agri.
Quiſquis nummorum nimio torquetur amore,
Semper eget, neque ſpes unquam ſatiabit inanes,
Et qui diuitias ſtudio conquirit habendi
Indiget, ac aliis fructumq uſumq relinquit,
Neſcius ipſe frui, res haec uaniſſima rerum.
Eſt aliquis pleno cui pinguis copia cornu
Affluit, atque illi nummorum et ditis abundes,
Sed multi abſumunt, quibus utitur ille miniſtris,
Et facilem praebet ſibi turba domeſtica uictum,
At Dominus nihil inde capit, niſi lumina paſcit.

Nequicquam, plenaque ſuas res lance profundat.
Illi grata quies, placidaque ſimillima mortis,
Quam de luce labor ſolitis exercuit horis.
Somnus idem, ſeu ſe dapibus repleuit opimis,
Seu, paruo aſſuetus, uacuo ſe corpore ſternat:
Diuitibus dulces adimit ſua copia ſomnos.
Hæc autem longe facias triſtiſſima rerum eſt,
Qualis ſæpe uiros agitantes ſole fruentes,
Diuitijs opplere domum, componere nummos,
In damnum peſtemque ſui, cladamque nepotum.
Namque aliquis rebus pollens ⁊ diuite cenſu
Occubat ante diem triſti (miſerabile) fato,
Filius inuidiæ ſuffert mala damna paternæ,
Cui nihil ex tantis opibus fortuna reliquit,
Nudus materna genitus prodiuit ab aluo,
Nudus ad infernos cineres ⁊ buſta reuertit,
Nec quidquam ſecum manes portabit ad imos.
Hoc adeo miſerum eſt naſci, ⁊ deponere uitam,
Uno eademque modo, ⁊ nullo diſcrimine ferri.
Numquid enim eſt operæ pretium tot uoluere curas?
Atque omnem ſimul in uanos abijſſe laborem?

Dum uixit, lucem fugit, caligine cœnam
Abscondit, semper mærore mens anxia semper
Versabat, tristique sedebant pectore curæ.
At mihi commodior longè sententia uisa est,
Ærumnas inter uarias, uariosque labores,
Quales fata Deum pensant mortalibus ægris,
Indulgere animo, mensis iucundius uti,
Diluere & dulci curas abolere Lyæo,
Hanc tibi sors partem dedit, hæc tua splendida merces.
Fælix cui pater omnipotens gratissima uitæ.
Commoda liberiore manu concessit, & usum
Addidit, ut rebus tranquilla mente fruatur,
Atque aliquam partem tanta pro mole laborum
Percipiat, datur hoc diuino munere donum,
Quo fretus, lætoque ferens sua gaudia uultu,
Despicit ærumnas, neque curis pectora torquat.

Ecclesiastis
Cap: VI.

Hæc etiam uulgò pestis mortalia uexat:
Est aliquis felix opibus cum diuite gaza;
Nec pater omnipotens dulces inuidit honores;
Nec quidquid læta est optandum ~~[illegible]~~ fronte beatis,
Nec tamen est illi rerum quas possidet usus
Creditus a superis, alius succedit honori,
Et rutilo fruitur quod non congesserat auro,
Hæc quoque de uanis res est tristissima rebus.
Hic quamuis centum numerauerit stirpe nepotes,
Et uitæ seriem in multos produxerit annos,
Ni faciles opibus animos saturauit opimis,
Et sibi supremos tumuli decorauit honores,
Talis abortiuo peior me iudice fœtu est.

Scilicet ignauos ſortitus degener ortus,
Obſcuroſque lares, ualereſque renartitur umbras,
Mortaleſque inter latitat ſine nomine preſſus,
Indignus radijs cui lux effulſerit aureis,
Cui neque concedunt ſuperi, neque gaudia manes:
Quanquam bis decies centenos uiuat in annos,
Præſentis tamen haud fruitur bonitate diei,
Triſtia ſic & læta locum rediguntur in unum.

Cuique ſuus labor eſt certo mortalibus æuis
Fine datus, ſed non animus datur omnibus idem,
Qui ferat impoſitas æquali pectore curas.
Nam nihil eſt, ſtultum ſapiens in rebus agendis
Quod ſuperet ſtudio, ſed uterque laborat in auras.
Qui miſer eſt, fruſtra nitidos aſpirat honores,
Interdicta petens melioris commoda uitæ.

Crede mihi rebus præſtat præſentibus uti,
Viuere quam uotis, & ſpes nutrire futuras,
Hæc etiam uano res eſt coniuncta labori.

Quid tibi uani tituli ⁊ phalerata encomia laudis
Expenſum referent? nec enim mortalia ſupra
Tendere mortalem fas eſt, neq uiribus impar
Contendas fato, ⁊ ſi quid ſublimius ipſo eſt.
Ah nimium eſt uani, nimium eſt ſub ſole laboris,
Unde quid expectas? uel quo teris ocia fructu?

Eccleſiaſtis

Cap: VII.

Ecquis enim uariæ ſic ponderat omnia uitæ
Momenta, ut certa ualeat diſcernere norma
Quæ ſua cuique homini ratio, quid proſit & obſit,
Has quoad inſtabili ſordes in corpore uiuit?
Tandem autem in uentos uaneſcit imaginis inſtar.
Hoc etiam dubium & nulli prædicere certum eſt,
Quis rerum euentus, vel qui maneat exitus harum
Quas agimus, melius quod poſtera indicat ætas.
Dulce decus famæ, atque unguento ſuauior omni.
Eximus melius ſuperis quàm naſcimur oris.
Rectius intrabis cupreſſi fronde notatas
Lugubresque domos, ubi functa cadauera luce
Deflentur, poſitis quàm ſicubi pocula menſis

Siccantur, Bacchoque ſedet labor oīs in uno:
Illic humanæ diſcet quæ gratia uitæ
Poſt obitum maneat, quam lubrica fluxerit ætas,
Hinc ſapiunt uiui, mortiſq; exempla uerentur.
Sic luctus riſu melior, quia pectora luctus
Erudit in melius, quibus eſt ſapientia cordi.
Haud fugiunt lamenta, trahunt ſua gaudia ſtultos,
Delitiaſq; leues, uanoſq; ſequuntur amores.
 Gratius eſt ergo, ſapiens cum pectore ſano
Reprendit uitia, ⁊ monſtrat meliora monendo,
Quam ſi ſtultus ouans cantus ⁊ iubila fundat,
Non aliter quam cum languentibus addita flammis
Arida ſpinarum crepitu abſumuntur inerti.
Hæc quoque res certe uana eſt, ⁊ inanis imago.
 Qui bene monſtratum ſpernit, monitiſq; repugnat,
Extimulat doctos, ⁊ confert tædia promptis.
 Exitus incepto ꝑſtat, neque ſana feruntur
Conſilia, euentus niſi cum reſpondeat æquus.

Eſt animus patiens habitu præſtantior alto:
Tu ne veſanam nimium ſis pronus in iram,
Occupat ira leues animos ⁊ ſtulta profeſſos.
Nec tu præteritos adeò neglexeris annos,
Ut noſtris præſtare neges, ſententia fallit.
Quàm bona cum largis opibus prudentia iuncta eſt,
Suauior his lux eſt, ⁊ uita beatior ipſa,
Utraque præſidium non ſunt inamabile rerum,
Sed tamen ⁊ magnis opibus prudentia pollet,
Et rationis opem, ⁊ uitæ fomenta miniſtrat.
Omnibus in rebus quas cælum uidit ⁊ orbis
Id ſolum ſtabile eſt, quod diua potentia condit.
Hæc ubi quid mutat, pro rectis deuia fingens,
Haud quiſquam eſt qui rem fato meliore reponat.
Ergo ubi læta dies faciles tibi præbuit horas,
Utere delicijs, ubi ſeſe ad triſtia uertit
Tu placidis tolerato animis, ⁊ conſule recti.
Condidit has Deus ipſe uices, ⁊ triſtia lætis

Miscet, ut ignota fati ratione ferantur
Mortales, nec res dubias scrutarier ausint,
Quæ lex astrorum, quàm frivola cura futuri:
Multa quidem indi pravo q̃ more geruntur,
Verum hic præ reliquis gravis est mortalibus error,
Vir bonus & sapiens, & servantissimus æqui
Occidit ante diem, nullo quasi numine fultus,
Impius interea vivit, fruiturque beato
Lumine stellarum, studioque senescit inani.
Si sapis haud nimium sapito, laudemq merentis
Iustitiæ vita, ne te trahat exitus ingens:
Sed neque stultitias agito, neq temnito Divum
Numina, ne Stygias properes tibi fata sub umbras.
Hoc utrumque licet cauta ratione sequendum est,
Sola tamen pietas medio tutissima transit.
Prudentis mihi crede viri mens unica præstat,
Quam bis quinq mali proceres, qui sceptra capessunt.
Nec quisquam est adeo solers, nec acumine tanto
Præditus, in rebus qui non quandoq gerendis

Peccat, ⁊ idcirco falli per ſæpe neceſſum eſt.
Omnibus ex æquo quiſquis ſermonibus aurem
Præbuit, ⁊ perſæpe ſui maledicta miniſtri.
Audiat, hos gravius mæſtum tangentia pectus;
Quo ſolitus fuit ipſe viros traducere honeſtos
Sæpius, ⁊ vacuas dare delatoribus aures.
Hæc ego ſolerti mecum ratione putavi,
Expertus rerum dubios per plurima caſus.
Hinc mihi res omnes ſcrutandi cura ſubibat,
Ut mihi tota meos caperet prudentia ſenſus,
Illa autem magis uſque procul magis uſq; receſſit.
Quid ſequar, aut quanam rectum ratione tenebo
Quod procul a nobis denſis abſconditur umbris?
Quis mihi de cæca tandem recludat abyſſo,
Quod ſupra captum penitus Dea maxima fixit?
Inde mihi partem ſolertia ſuaſit utramque
Metiri numeris, vel quid prudentia poſſit,
Et ſi quas uſus ſolers extunderat artes,

Vel quid inexperti faceret dementia cordis,
Erroresque animi, ⁊ stultorum insana libido:
Hæc agitanti animo res isthæc sensibus hæsit:
Fœmina quæ iuueni laqueos, quæ uincula nectit,
Quæ complexa uirum fallacibus implicat ulnis,
Blanditiasque serit, furto lætata procaci,
Tristior est letho, Stygijs ⁊ tristior umbris,
Triste uiro fatum, pauci quos æquus amauit
Cœlestum genitor, possunt effugere nefandam,
Sed male præcipites ruunt in retia stulti.
Talia sollicito metitus plurima sensu
Scrutabar rationis opus, qua pronus in artes
Trames agit, rerum causas ⁊ pondera monstrans,
Nec mora nec requies animo, quin semper idipsum
Vestiget, nec adhuc supremam attingere metam
Fas fuit, atque inter uix mille uidebitur unus,
Quam iuuet humanæ ratio dignissima uitæ
Haud etenim hæc muliebre genus fastigia scandit.

Hoc adeo certum eſt, neque me ſententia fallit,
Haud Deus humanam uoluit ſine tramite ferri
Naturam, ſed ſe recta ratione ferentem
Condidit, ⁊ leges uitæ præſcripſit agendæ.
Verum alij uarias artes, ⁊ uana ſecuti
Commenta, excedunt metas ad damna uerſi,
Conanturque ſuo diſponere ſingula motu
Nequicquam, quis enim tali res ordine pandat
Vt nunquam perfecta animos induſtria fallat?

Ecclesiastici

Cap: VIII.

Illustres animi, quos recti conscia uirtus
Erudit, ingenuos promunt e pectore uultus:
At qui distortos animos in pectore gestant,
Distorquent oculos, nec frontem a nube serenant.
Regum iussa subi, ⁊ dictis parere memento,
Æternam nunquam rumpe fidem, quam mentibꝫ alte
Impressit Deus, ⁊ populos sub rege locauit.
Ne fuge cum peccas, nec tu auersare serenos
Principis obtutus, sed iniquis desine cœptis.
Imperat ille sibi, ⁊ proprio gerit oīa nutu
Ut libuit, nec abest æquata potentia iussis,
Nec quisquam contra ueniat, neq; regis amorem
Improbet, aut regnis normam præscribat agendis.

Qui monitis animos adhibet, præceptaq; legum
Sobrius obseruat, discrimina tristia uitat,
Et sapiens rerum fines & tempora cernit.
Omnia nimirum, quia certo tempore, certis
Legibus eueniunt, quamuis infanda malorum
Est homini series, numero nec clauditur ullo.
Nam neque præteritos annorum euoluere cursus,
Noscere nec fatum poterit, casusque futuros.
Spiritus ipse hominis late diffusus in artus
Imperijs meat usque suis, neque certa potestas
Est homini, prohibere Deum, vel cedere claustris
Corporis, uel sponte suis expellere regnis,
Dira Deûm seu forte lues, seu prælia surgant,
Nedum præsentes ut quisquam proroget annos
Iuuantum scelerum, & pro pœnis præmia speret.
Hæc oculis uidi, & rerum momenta putaui
Indefesso animo, sed et his nil uanius usquam:
Namque alijs alius, nec Dijs nec uiribus æquus,

Imperat interdum, & fatis uariantibus obſtat:
Aſt alij qui nunc poſuere cadauera buſtis,
Olim ſublimes animis in limine ſancto
Verſari ſoliti, & nullo ſe attollere faſtu,
Horum nec ciues meminere ob fortia facta,
Atque illos tumulis æterna obliuia condunt.
Hæc quoque magnarum res eſt uaniſſima rerum:
Namque ubi lenta Dei differt uindicta furorem,
Pronior in uitium ſceleri ſcelus addere pergit
Effera mens hominum, prauis & moribus inſtat.
Sed licet innumeros ſcelerati criminis actus
Impius accumulet, centumque ſuperſit agendis
Nequitijs annos, tandem tamen (hoc mihi certum eſt)
Hi tandem capiant melioris commoda uitæ,
Qui diuum monitus curant, faciemq uerentur
Numinis ætherei, mortalia facta uidentis.
Verum qui recto faciles ſe tramite uertunt,
Qui neque uirtutem curant, neque numinis iras,

Præcipites cursus et inania tempora lucis
Spirabunt, refugis dum sint uelocius umbris.
Hæc autem longè res indignissima uersat
Humanam sortem, neque nostræ est obuia menti,
Vt bona proueniant prauis, contraria iustis,
Atque illos meliore loco fortuna locauit,
Hos autem immeritos fatis affligit iniquis,
Nil magis hoc miserum, nil infælicius usquam.
Quin igitur risus potius sectemur amœnos,
Delicias Bacchi, et mensis epulemur opimis,
Hi fructus operum, hæc uitæ sit summa tuenda,
Hæc animis requies, demissaq munera cœlo.
At ego prudentum solers arcana secutus
Huc sedi, ut causas rerum scrutarer opertas,
Et quos quisque hominum misera sub luce labores
Hauriret, quippe est aliquis qui pectora pernox
Excruciat, nec enim committit lumina somno,

Quin noctesq diesq agitat, curasque renouat.
Verum ea diuino nutu momenta feruntur,
Qui res diſponit fragiles, atque ordine ducit,
Nec licet humanis recto res tramite cogi
Conſilijs, tacito licet omnia pectore ſacra
Commoueat, quin ⁊ longè longèque recedit
A uero, ⁊ quoties ſtabiles ſibi figere greſsus,
Exacto quoties ſenſu pollere uidetur,
Fallitur, ⁊ nuſquam ſeſe obtulit exitus actis.

Ecclesiastis

Cap: IX

Hinc aliæ atque aliæ rursum multi pectora curæ
Exercent, quas scrutari mens ægra fatigat.
Sunt qͦs diua hominum e numero prudentia longe
Extulit, ut ueri studiosos, iuris amantes,
Qui sibi subiectos solo sub numine Diuum
Imperijs ducunt, hi iussa facessere gaudent:
Sed neque certa odij, neque certa feruntur amoris
Argumenta uirûm, quibus assuefeceris uita,
Sic uicini etiam latitant penetralia cordis.
Cætera sed nullo discrimine sæpe feruntur
Humanos inter mortes, fatum omnibus idem,
Est bonus, est prauus, par huic, par exitus illi,

Siue manus ſeruet puras, noxaque ſolutas,
Seu ſcelere inquinet, fato cingeris eodem,
Lex eadem ambobus, plenis qui lancibus aras
Inuiſunt, ⁊ qui cælum cum numine temnunt.
Sic eadem fortuna bonos, eademque nocentes
Proſequitur, nec qui quondam periuria dixit
Stat peiore loco, quam qui pietatis honorem
Excipiunt, teſteſque Deos reuerenter adorant.
Atque hæc ipſa quidem res eſt triſtiſſima rerum
Quæcunque æthereo paſſim ſub Sole geruntur,
Quod lex eſt cunctis eadem, ⁊ ſors omnibus æqua,
Hinc ſe animis hominum uis ingens ſæpe malorum
Colligit, ⁊ paſſim in uarias ſe ſemina ſpargunt
Nequitiæ, nec eis mentem temperare poteſtas,
Dum fragiles artus, ⁊ vitam in corpore ſiſtant,
Sic obeunt tandem, ⁊ defuncti lumine egent.
    Spes hominem alit in terris, ſpes nulla ſepultis,
Hæc facit ut uitam toleres tot rebus egentem.

Et canis äeria saltem qui uescitur aura,
Exanimum longe superat uirtute leonem.
Qui uiuunt etenim, mortis meminere futuræ,
Hanc metuunt, ⁊ se meliora in fata reseruant:
At qui perpetua tenebrarum nocte premuntur,
Immemores uitæ latitant, neq; præmia curant
Virtutum, sed densa illos obliuio condit,
Non odia humanæ, non experiuntur amores
Naturæ, non inuidiam, procul omnibus acti,
Quas operosa parit inuentum industria, curis,
Et quæcunque geri toto uideat æthere Titan.
Ergo age carpe epulas Diuum tibi munere cessas,
Liber curarum, ⁊ læto bona pectora Baccho
Exhilara, lætis facilis Deus ocia donat,
Induito uestes nitidas, oleoque beato
Vnge caput, facilemque pia cum coniuge uitam
Exige, delitias hic ponito, ponito amores,
Dum fragiles artus ⁊ inanis cōmoda uitæ

Munere cœlesti carpes, hæc propria merces
Est tibi curarum, pars hæc est sola laborum
Quos exantlando toties haurire necessum est.
Et tu quicquid adest operis, vel quicquid agendum est
Impiger aggredere, et nimis opera acta pro rato,
Sedibus infernis etenim, quo tendimus omnes,
Ingenij vires, operumque industria cessant.
Hoc etiam passim fieri persæpe notavi
Rebus in humanis, fortuna et mobile tempus
Cuncta regunt, namque ut cursu in certamine vincas,
Non satis est celeres pedibus prævertere nimbos,
Nec semper validas sequitur victoria vires,
Nec victus studio, nec opes ratione parantur,
Nec semper doctæve manus, artesve favorem
Conciliant homini, fortuna et mobile tempus
Omnia dispensant, quia nec mortalibus ægris
Tempora nosse datum, proprijque pericula fati.
Scilicet ut lato natitantes æquore pisces

Incauti sorbent hamos, prædæque trahuntur,
Ut volucres pedicis hærant, nil tale timentes:
Sic homines subito rerum discrimine capti
Falluntur, facilique labant vestigia motu.
Hoc vero curas inter mirabar inanes,
Hæc res una mihi ante alias industria visa est,
Urbs humilis stabat tenui circumdata vallo,
Quam pauci cives, et bello insueta iuventus
Incolerent, hanc rex armatus equisque virisque
Obsedit, fossaque urbem circumdedit alta,
Straturus iam iam murum, excidioque daturus.
Unus ibi ante alios plebeio ex stemmate civis,
Pauper, sed rerum magnarum haud futilis auctor,
Artibus ingenii minitantem mœnibus hostem
Arcebat, patriamque in tuta pace locabat.
Sed brevis officii fuit olli gratia et artis,
Immemoresque viri cives oblivio cæpit.
Hinc mecum dolens animi præ corpore vegeto

Laudabam, quoniam ſuperat prudentia uires.
Cur igitur ſapiens, tecto ſi pauper ſurgat,
Callida quantumuis dubijsque accommoda rebus
Conſilia expediat, doceat meliora monendo,
Tamnitur, atque æquas monitis non inuenit aures?
Cum ualeat ſapiens plus inter lingua modeſtus,
Quam pauet inſipidos clamoſi principis ardor?
Ipſa quidem bello ſapientia præſtat & armis,
Sæpe tamen prauis unius ab artibus altæ
Res pereunt, auctore malo bona multa fatiſcunt,
Suauia corrumpunt impuræ balſama muſcæ.
Sic melior quandoque fauet fortuna malignis,
Et præſunt ſtulti interdum ſapientis honorem,
Quantumuis ſapiens recta ratione gubernet
Conſilium, ſecumque uices momentaq rerum
Plenius expendat, ſed ſtultum mobilis aura
Prouehit in præceps, erantibus apta ſiniſtris.
Hunc adeo morem ſtulti plerunque ſequuntur,

Vt sibimet soli sapiant, hominesq; Deosq;
Insanire putant alios, caecosque vagari
Tu siquando vides hominum consurgere pravum,
Tollentem cristas, & caelo colla ferentem,
Ne moveare loco recti, sed cede furori
Paulisper, cedendo furor fit lenior omnis,
Insultusque graves patientia temporis frangit.

Eccleſiaſtis

Cap: X.

Eſt aliud ſub Sole malum, penituſq dolendum,
Quod plerumq ſacros trahit hæc dementia Reges,
Ut ſtultum attollant ſolio, ſocientque gerendis
Imperijs fatuum, dignum qui limina ſervat:
Aſt alium ingenio clarum, cum divite gaza,
Inferiore loco ponant, non ordine quanquam
Pro meritis habeant, nec præſtent præmia dignis.
Sic adeo ſervos premere acris terga caballi
Interdum, ⁊ pedibus proceres incedere vidi
Servilem in morem, quid. n. cõtrarius iſtis?
Qui foveas effoſsit humo, liquitq refoſſas,
Inſidias alijs ponens, incautus in ipſas
Incidat, ⁊ proprio ruet in ſua vincula facto.

Improbus eſt quiſquis ſepem, quo limite ſulcos
Diſtinguunt, mouet aut rumpit, cui uindice fato
Suppoſitus coluber dabit acres cuſpide morſus.
Qui uoluit lapides, & transfert fixa priori
Saxa loco, ſolum capiat ſine fruge laborem,
Quique trabem ſcindit cuneis & fiſſile lignum
Vix erit ut peragat ſemper ſine uulnere cœptum.
Obtuſum quoties deficit robore ferrum,
Aut acies ictu crebro deperdita ſedit,
Haud aliter ſolitas acquirit lamina uires,
Ni ſaxo ſubigas, & acuta cote reformes:
Sic & prudentum uires induſtria nutrit.
Aſpidis a morſu nil dira calumnia diſtat,
Aſpidis, occluſa qui carmina reſpuit aure.
Gratia ſermonum ſapientis proluit ora,
Iucundoſque trahit riuos ſuadela loquentis:
At ſtultum propriæ plerunque inſania linguæ
Abſtulit in præceps, cuius furor ora reſoluit.

Cum fari incepit mox ſermonum eiicit erres,
Omnis ut abſurdis ſit texta oratio nugis,
Excreat verba ingeminans, ⁊ plurima fundens,
Ignarus quæ ſit dictis menſura ſerendis
Præteriti neq tangit eum neq cura futuri.
Hinc adeo incaſſum ſtulti plerunque laborant,
Dum volunt magnas animis conamina rerum,
Ignavi, inſtabiles, dubij normæque locique
Qua via ſolertius ducat virtutis ad arcem.
Infelix regnum, infelix populusq ducesque
Cui puerum ſacro redimunt diademate crines,
Infantemque locant ſolio, communia curant
Mane patres, totamq trahunt per pocula lucem.
Felices vero populi, regnumque beatum,
Cui rex præficitur generoſo ſtemmate natus,
Egregijs annis, ⁊ rebus gnarus agendis:
At proceres tamen veſcuntur munere menſæ,
Haud inportunis, cum cœna poposcerit horis,
Ut feſſas reparent vires, ieiunia ventris

Solentur, atque luxuriam sectantur opimam.
Scilicet inclinant ruptis laquearia tectis,
Et pluuiæ penitus penitusque per atria stillant
Parietibus laxis, nisi solers cura columnas
Fulciat, & a tectis solidas conglutinat ædes.
Illi autem Cereris fruges cœlestia dona
Per risum absumunt, Bacchum in mala gaudia vertunt
Effusi, exercentque iocos lasciuaque furta,
Effunduntur opes, aurique infanda potestas,
Et nihil est quod non regina pecunia patrat.
Hoc ergo imprimis iterumque iterumque caueto,
Ne regem prodere insimulas, dirasue procorum
Pectoribus tacitis, intraque cubilia tecti
Ne malo deuoueas quemquam, cum diuitis arcas
Copia suppeditat, celeres mihi crede volucres,
Et quæ latiuagis tolluntur in aëra pennis,
Obseruant voces, passimque per æthera spargunt.

Ecclesiastis

Cap: XI.

Cum tibi diuitiæ, rerumque opulentior usus
Affluit, haud intus premito, aut incumbito pernox
Thesauris, quinimmo aliorum mittito in usus
Trans mare, trans flumen, longo post tempore quondam
Hoc ipsum inuenies, quod nunc te perdere censes.
Nec cuiquam sit clausa tuarum opulentia rerum:
Da larga tua dona manu, da pectore læto,
Forte aliæ ueniant clades, aut atra subibit
Tempestas, & quid tibi tum clementia prosit?
Turgidulus in nubes cum sese colligit humor,
Soluuntur, cœloque cadit gratissimus imber.
Ardua cum stricta ruitur labefacta bipenni
Quercus, & alticomum syluæ deponit honorem,

Concidit, & quocunque cadat, proſtrata ~~iace~~ recumbit,
Vaſta, immota loco, & proprio ſe pondere ſternens.
Qui nimium pluuias metuit, nymbosque cadentes,
Obruat haud unquam Cerealia ſemina ſulcis:
Qui tacitus nubes ſpectat, cœlique meatus,
Haud illi faciles implebunt horrea meſſes.
Quis fugam rapidi ſolers cognouerit Euri,
Ventorumque habitus, Boreæq; inamabilis alas,
Quoque modo primi maternis follibus oſſa
Naſcantur fœtus, tenerique alimonia partus,
Quam diuina quaſi magni miracula patris
Scrutari, toto quoties paſſim orbe geruntur.
Nunc nouo ſpiſſis mandato ſemina glebis,
Vertere ne ſero ceſſa perferre laborem,
Tentandum vicibus, varia eſt natura locorum,
Atque alias alibi terris magis creſcere fruges,
Quæ cunctis bene ſurgit agris, lætiſſima meſſis.

Dulce oculis lumen, Phæbi gratissimus ardor,
Et nihil est quod non solari sydere gaudet,
Verum hæc conditio misera est mortalibus ægris,
Quantumuis longe producant tempore uitam,
Delitijs usi uarijs, & diuite uictu,
Tot tamen interea diuersa sorte labores
Obueniunt animis, solido neque gaudia cursu
Ire sinunt, sic exuperant sed tristia lætis,
Mortalesque boni species uanissima uersat.

Eccleſiaſtis

Cap: XII.

I nunc & uiridis ludos ſectare iuuentæ,
Ocia, deliciaſque uagas, quæcunque cupido,
Et quæcunque oculi, placitæque libidinis ardor
Impellunt, pronæque irritant gaudia mentis:
Scilicet hæc olim Deus a te uindice dextra
Poſcat, & æthereum te proferat ante tribunal.
Cum iuuenes fugitote iram, fugitote nefandæ
Semina nequitiæ, rebuſque aſſueſcite ſanis,
Res nihili iuuenilis amor, quam uana cupido
Detinet, ac uitæ leuis inconſtantia uerſat.
Viue memor ſancti, & ſummum uenerare parentem,
Qui uitam, qui res omnes quibus indiget uſus

Sufficit, huic alacres animos adhibeto monenti,
Dum florent anni, dum prodiga sanguinis ætas,
Et uigor ⁊ teneræ condit decor ora iuuentæ.
Tempus erit quo te seclis effœta senectus
Obruat, ac steriles pingent tibi tempora cani,
Tunc iniucundæ uenient fastidia uitæ,
Cum solem, ⁊ lunæ radios, ⁊ cætera cœli
Sidera concretæ quasi per caliginis umbram
Aspicies, omnemque adeo nigrescere lucem,
Sic oculorum acies, ⁊ noxia lumina torpent:
Cum se perpetuis abscondat nubibus æther,
Has nubes densi nimbi pluuiæque sequuntur:
Tunc lassæ tremuere manus, fortesque lacerti
Haud æque fragilis defendunt corporis arcem,
Et iam genua labant, onerique infirma ferendo
Inclinant, trito malæ cerealia dona
Dente molunt, carie exeso, tristique senecta,
Et uigiles summa caligant arce locati:

Ore gemunt clauso, et vix extra septa feruntur
Verba animi testes, et inanis gloria linguae est:
Tum curae somnos adimunt, et inanis soporem
Excutiunt vigilis praenuncia carmina Galli:
At surdas raris pulsantur vocibus aures,
Nec sonitum cytharae, nec suavia carmina norunt:
Sed neque difficili fastigia scandere montis
Cura senum, plane titubant vestigia cautesque,
Et baculo, et dubio subnixa est tibia gressu:
Interea densis sparguntur tempora canis,
Castaneae veluti primo se germine silvae
Expediunt, albos flores, nova poma ferentes,
Incurvum senio tergum, tum lurida vultum
Illuvies promissa, cutis vix ossibus haeret,
Et longe Veneris que ioci, longeque recedunt
Deliciae, nec nimis alit iam corpora succus:
Tantum illis bustum superest, quo membra cubili
Componant, placidique extincta luce quiescant:

Interea tristi ducuntur funera pompa,
Cum lacrymis, luctuque, & luctisono vlulatu.
Scilicet humanæ sic transit gloria uitæ,
Cum tetricæ rumpunt argentea fila sorores,
Aureus & liquidis tandem fons deficit vndis,
Vndis quæ laticem cordi, viuosque liquores
Suppeditant, nec iam venæ liquentibus urnis
Vitales ducunt animos, riuosque calentes,
Et rota confractum iuxta collabitur axem,
Sic formata luti mortalia corpora limo
In terram redeunt, & sese in puluere condunt,
Spiritus auctorem sequitur, patriamq; remensus
Astrigeras supra sedes & sydera tendit.
Omnia vana uides, quæcunq; sub ætheris axe
Vertuntur, nugæ sunt omnia, & oīa risus,
Quicquid agunt: magni sunt hæc oracula vatis
Qui Solymam rexit, populi cui concio nomen
Addidit, ingenio quo non præstantior alter

Eloquijs mulcere animos, plebemque docere,
Cui ſuperum ritus, uitæ quæ norma beandæ:
Ille etiam mundi faciem, cauſasque latentes;
Inclyta quas rebus primum natura creatis
Indidit, ut cælo, terraque, marique feramur;
Scrutatus, ſeris diſcenda nepotibus olim
Congeſſit libris, ⁊ car~~ti~~mine texuit aureo.
Hæc tecum reputa ſapientum uerba uirorum
Quæ ſtimulos animis addunt, ⁊ ſenſibus imis
Abſcondunt monitus, clauoque tenacius hærent:
Hæc inuenta patrum diuinis prodita quondam
Ingenijs, quorum paſtor doctiſſimus auctor,
Hæc linguam erudiant uerbis, hæc pectora forment,
Nec te diſcendi rapiat tam dira libido
Quærere doctores alios, euoluare libros
Qui nullo numero ſcribuntur, ⁊ ordine nullo,
Lectorem uero uerborum mole fatigant,
Irritus ⁊ tandem refugit labor omnis in auras.

Tu quodcunque sapis, studijs ea meta colendis
Sit tibi: deuoto uenerari numina cultu,
Et precepta Dei patulas admittere in aures,
Hoc humana suo debet natura parenti.
Scilicet ille olim quecunque sub orbe geruntur,
Seu bona, seu mala sint, densisq; absconsa tenebris
Proferet in medium, et supremo examine uitas
Pensabit iustus magni Deus arbiter orbis.

Ecclesiastis
Finis.

Miejska i Wojewódzka Biblioteka Publiczna w Elblągu

ROTANOX
oczyszczanie
VII 2009

Wojewódzka Biblioteka Publiczna
Elbląg
Rkps 28